4°
A. obst.
22

22

Dem

Herrn Herrn Praesidenten von Schreber

Hochwohlgebornen

empfiehlt Sich hiermit

der Verfasser.

Digitized by

4° U. Obser. 22.

Archiv
[illegible] [illegible]
[illegible]

21

COMMENTATIO MEDICO-OBSTETRICIA

DE

DIAGNOSI CONCEPTIONIS ET GRAVIDITATIS

SAEPE DVBIA.

AVCTORE

ADAMO ELIA SIEBOLD

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTORE,
SOCIETATVM PHYSIC. ET AMICORVM ARTIS OBSTETRIC. QVAE GOETTINGAE SVNT, NEC NON SOCIET. MEDICOR. ET CHIRVRGOR. CORRESPONDENTIVM, QVAE IENAE FLORET, SODALI ORDINARIO.

WIRCEBVRGI.
SVMTIBVS A. M. KÖL.
MDCCXCVIII.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

REVERENDISSIMO ET CELSISSIMO

S. R. I. PRINCIPI AC DOMINO

D O M I N O

GEORGIO CAROLO

EPISCOPO WIRCEBVRGENSI

E T

F R A N C I A E   O R I E N T A L I S

D V C I

ETC. ETC.

DOMINO DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

HANC DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

OMNI QVA DECET DEVOTIONE

D. D. D.

Seruorum infimus
Adamus Elias Siebold.

L. B. S.

Quum in hac alma Vniuerſitate mos ſit antiquus & laudandus, vt illi, qui lauream doctoralem deſiderant, ſpecimen eruditionis quoddam exhibeant, huic conſuetudini & inclytae Facultatis medicae legi obtemperare, nec ego renuo. Idcirco iam dudum haeſitaui, quodnam ex vaſtiſſimo illo medicinae campo argumentum mihi pro Diſſertatione medica inaugurali eligerem, quum de multis, fere omnibus, quae in illo progerminant, ab aliis Apollinis alumnis ſatis ſuperque actum eſſe compererim. Attamen officio ſatis vt faciam, mihi incumbit, ideoque ex diuerſis, quae mihi in mentem venerant, argumentis nullum magis mihi arriſit, quam illud, quod fronti Diſſertationis inſcriptum eſt, ſcilicet de diagnoſi conceptionis et grauiditatis ſaepe dubia.

Equidem, quum hyeme praeterlapſa Goettingae commoratus fuiſſem, Semiologiam artis obſtetriciae, & quidem

partem

partem phyſio logicam pro Diſſertationis themate eligere animus erat; conſpectum iamque elaboraui, & varia ad hanc materiem in arte obſtetricia memoria digniſſimam & non ſatis adhuc elaboratam ſpectantia collegi. Sed mox audiebam, Viros Exper. ELIAS* & praeſertim Ill. KNEBEL** eandem materiam expoſuiſſe & illuſtraſſe, operamque meam in ea fruſtra impenſam fuiſſe. Hac igitur occaſione data fragmentum ſolummodo artis obſtetriciae edo.

Etiamſi eadem haec materies a nonnullis (inter quos denominare ſatis eſt Viros Experientiſſimos & Illuſtriſſimos ROEDERER*** & STEIN****) iam ante me diuerſa ratione ſpeciatim

* Verſuch einer Zeichenlehre der Geburtshülfe, von Chr. Fried. ELIAS. Marburg. 1798. 8.

** Grundriſs zu einer Zeichenlehre der geſammten Entbindungs-Wiſſenſchaft zum Gebrauche für angehende Geburtshelfer. Ein Verſuch von D. Imman. Gottlieb KNEBEL. Breſslau, Hirſchberg und Liſſa. 1798. 8.

*** I. G. ROEDERER diſſ. de temporum in grauiditate & partu aeſtimatione. reſp. I. F. G. DIETZ. Goetting. 1757. recuſ. in Eiusdem opuſculis.

**** G. W. STEIN diſſ. med. de ſignorum grauiditatis aeſtimatione. Goettingae. 1760. 4. Alia ſcripta ad hanc materiam ſpectantia inuenies in Dr. E. Q. BRENNER diſſ. de *Fallacia ſignorum in grauiditate.* Marburgi Cattorum. 1790. 8. p. 14. in Cel. PLOUCQUET repertor.

ſpeciatim pertractata fulgore nouitatis ſeſe non commendet: tamen in grauiditatis diagnoſi tam ſaepe & male erratur, vt ad eiusdem ſigna certius ſtabilienda plurima & grauiſſima argumenta tam repeti, experientiaque noua condi, quam & prioribus alia addi facile poſſint. Itaque L. B. non ſolum ea, quae ex libris de arte obſtetricia praecipue meritis partim ſumſi, partim, quae in optimorum magiſtrorum ſcholis diſcendi occaſio mihimet ipſi erat, collecta, ſed quoque obſeruationes nonnullas proprias in noſocomiis obſtetriciis, quae Goettingae, Ienae & Wirceburgi ſunt, factas in libello hoc academico inuenies.

Hac aeſtate praecipue in noſocomio obſtetricio Wirc. varias comparare obſeruationes memoria dignas proſpere mihi accidit, quum Pater dilectiſſimus grauidarum & parturientium curam in eo mihi traderet, prout in vrbe & rure quoque artem obſtetriciam exercendi omnem mihi dedit occaſionem. Palam hic Patris mei aeterno mihi pietatis cultu

pertor. medic. pract. & chirurg. T. III. Tubing. 1794. 4. in Dr. Chr. L. Schweickhard tentam. catalog. rational. diſſertat. ad artem obſtetric. ſpectant. Francofurti ad Moenum. 1795. 8. Vnum tantum Programma addo, quod in hisce non inueni. D. P. G. Schacher Programma de grauiditatis ſignis incertis. Lipſiae. 1717. 4. Continet varias obſeruationes memoria dignas.

cultu venerandi, Praeceptoris aeſtumatiſſimi, Praeſidis & Promotoris clariſſimi beneuolentiae grates quas poſſum maximas refero, ſui & beneuolentiae eius paternae memoriam nulla ex animo delebit obliuio, quaecunque me vocauerint terrae. Caeteris quoque Praeceptoribus aeſtumatiſſimis maximas gratias ago habeòque, atque eorum in me merita mente venerabor gratiſſima.

Hac occaſione, qua Gradum Doctoratus ambire mihi contingit, materiam non prorſus finitam edo, ſed ſolummodo de diagnoſi conceptionis atque de grauiditatis, & quidem naturalis ſignorum fallacia agam. Partem alteram de diagnoſi grauiditatis praeternaturalis, ſpuriae, & morbis praecipue grauiditatem mentientibus alio tempore pertractabo, quum varia ad hanc materiam pertinentia collecta iam in promptu ſint. Caeterum in votis meis eſt, vt hic meus libellus grato animo accipiatur, & de conatibus iuuenilibus benignum feratur iudicium. Vale.

PARS PRIOR.

DE DIAGNOSI
CONCEPTIONIS ET GRAVIDITATIS
NATVRALIS
SAEPE DVBIA.

ELENCHVS.

Introductio. §. I — III.

A. *SIGNA CONCEPTIONIS.* §. III — X.

B. *SIGNA GRAVIDITATIS.* §. X.

S e c t i o I.

DE SIGNIS GRAVIDITATIS NATVRALIS.

I. *Signa grauiditatis naturalis ſimplicis.* §. XI.

1) *Quae ſumuntur ex affectionibus morboſis.* §. XIII — XV.

a) Syſtematis neruoſi. §. XV — XVII.

b) Syſtematis ſanguiferi. §. XVII. — XIX.

c) Syſtematis digeſtionis. §. XIX.

d) Syſtematis vriniferi. §. XX.

e) Organorum corporis muliebris aliorum. §. XXI.

2) *E morborum receſſu.* §. XXII.

3) *Ex vteri functionibus mutatis.* §. XXIV.

4) *Ex ventre mutato.* §. XXV.

α) Ex ventre intumeſcente. §. XXVI. — XXXI.

β) Ex ventris duritie diſtincta, finibusque certis deſtinata. §. XXXI.

γ) Ex

γ) Ex vmbilici prominentia. §. XXXII.

δ) Ex foetus motu. §. XXXIII — XXXIX.

5) *Ex mammis mutatis.* §. XXXIX — XLII.

6) *Ex genitalibus mutatis.* §. XLII.

a) Ex genitalibus externis.

b) Ex genitalibus internis.

α) Ex vteri incremento. §. XLIV.

β) Ex orificii vterini eiusdemque labiorum mutationibus. §. XLIV — XLVII.

γ) Ex ſegmenti vteri inferioris mutationibus. §. XLVII — XLVIII.

II. *Signa grauiditatis gemellorum.* §. XLIX.

A Signa, quae in grauiditate obſeruantur. §. L — LII.

B. Signa, quae in partu inſtante apparent. §. LII.

INTRO-

INTRODVCTIO.

§. I.

Hac data occaſione modum, quo fiat conceptio, ſiue varias generationis theorias diuerſasque hypotheſes fuſius pertractare, vix meum eſſe arbitror; quod enim argumentum phyſiologicum nimis graue & difficile doctiſſimorum virorum acumini ingenioque aptum dignumque mihi videtur. In iſtam quoque literarum regionem me conferrem, in qua omnia fere alta nocte caecaque caligine obteguntur; quum ratio, qua noua in matre a natura formentur animalia, tantopere cognitioni humanae occulta ſit. Tempore, quo medicis virisque in rebus naturae peritis experimenta inſtituere non contigit, variae hypotheſes ridiculoſae, interdum abſurdae excogitatae erant; ex his e autem certi aliquid conſtitui non poſſe, ſatis perſuaſum erit. Priori

equidem potiſſimum ſaeculo praeterlapſo, experimenta inſtituebantur, plerumque vero incerta, quum experimentatores ſcriptoresque multa ſe vidiſſe putauerint, de quibus nunc vehementer dubitatur, vt ſuſpicioſe & cum plurimo metu clariſſimorum etiam virorum narrationes poſſimus pro veris recipere. Apud illuſtriſſ. Hallervm *a*) multa de hac re collata inueniuntur. Hic ſagax naturae indagator plurimum & taedioſiſſimum ſane laborem impendit, multaque fruſtra incidit animalia. Recentiores phyſiologi quidem, inter quos praecipue Spallanzani, Blvmenbach, Henke, Grasmeyer &c. experimenta continuarunt, paucis ſolummodo in hominibus ſtatim poſt conceptionem mortuis ſectionem inſtituere contigit, & proh dolor! omnia, quae per experimenta conſtant, ad probabilitatem tantum accedunt. Equidem haec ingenii humani propenſitas admodum laudanda omnium fere egregiorum arduorumque conatuum ad veritatem nocti, qua obtecta iacet, ſubducendam fons eſt & ſcaturigo: parui quoque vel plane nulli in vniuerſa humana cognitione & ſcientia fierent progreſſus, ac humani generis ſaluti male conſultum foret, ſi pertinax eſſet animus.

§. II.

Omnibus his omiſſis, quae ad theoriam & definitionem conceptionis pertinent, ad *Diagnoſin factae conceptionis* me conuerto. Diſtinguenda enim ſunt ſigna conceptionis & grauiditatis:

a) Elementa Phyſiologiae. Tom. VIII.

tatis: *b*) Illa mox a coitu facto cum viro foecundo intra paucos dies adſunt, & non ſolum foeminae foecunditatem declarant, ſed dein rurſus diſparent, donec poſt aliquot dies grauiditatis indicia accedant. Signis certis, conceptionem factam eſſe, conſtituere, antequam genuina grauiditatis criteria appareant, arduum difficillimumque cognitu eſt, & varia, quae ſaepius obſeruantur, ſigna ad probabilitatem tantum ducunt.

§. III.

A. SIGNA CONCEPTIONIS.

I. Probabilis eiusmodi nota a compluribus habetur *vtriusque ſexus ſenſus quidam peculiaris voluptatis ſub ipſo coitu ad extaſin nonnunquam accedens*, quique in foeminis maior putatur, & a copioſiori in haec loca humorum orgaſmo a genitalibus turgeſcentibus vteri & vicinarum partium rigore deriuatur. Gradu differt

A 2

b) Bene diſtinxerunt autores inter ſigna conceptionis & grauiditatis. Vid. Ill. Roederer Element. art. obſtetr. Göttingae. 1766. p. 63. §. 136. I. M. Wrisberg ibid. not. 57. Cel. Zückert's Diät der Schwangeren und Sechswöchnerinnen. Berlin. 1767. Seite 21. §. 3. Ill. Stein Diſſ. de ſignor. grauiditatis aeſtimatione. Göttingae. 1760. 4. p. 59. §. 27. Hippocrates iam deſcripſit phaenomena factae conceptionis; dum (de aetate. edit. van der Linden Vol. I. p. 312.) ait: mulier, quum in ventre concepit, ſtatim horret, & calor & dentium ſtridor conſequitur, & conuulſio occupat tum articulos, tum totum corpus, & vterum ſegnities & torpor. Van Swieten (Commentar in Boerhav. Aphor. edit. Hildburgh. Tom. IV. p. 450.) narrat, ſe plures noſſe honeſtas matronas, quae aliquoties pepererant, & accurate conceptionis ac partus futuri tempus ex his ſignis notarunt.

differt hic ſenſus, quin foeminarum quaedam animo linqui ſolent. Quo vero grauior in viro eſt perceptio, eo maiorem ſeminis foecundi vim innuit. c) Licet quidem hoc phaenomenon maximi momenti eſſe videatur, & in quibusdam mulieribus coitus foecunditatem indicare poſſit, non ſemper tamen certam praebet factae conceptionis diagnoſin. Senſibilitas enim mulierum non in omnibus eadem. Foeminae phlegmatico temperamento ſeu ſenſuum hebetudine quadam praeditae concipiunt ſine gratiſſima voluptate extaſi quadam concomitata; d) & contra mulieres nimis ſenſibiles coitum gratiſſimo voluptatis ſenſu coniunctum patiuntur ſine facta conceptione. Gratiſſima inter coitum ſenſatio non raro quoque nimia clitoridis ſenſibilitate niti poteſt. e) Quae de ſenſatione mariti dicuntur, eodem modo fallere poſſunt. Maritus die quodam inuitus ſeu non diſpoſitus ab vxore maxima libidine ducta ad coitum vocatur, conceptio ſequi poteſt ſine ſenſatione mariti gratiſſima. f) Eadem quoque de viro phleg-

c) Roederer in libro laudato. §. 136.

d) Felix Platerus Obſeru. Lib. I. p. 260 narrat de foemina quadam, quae ne quidem a primo matrimonialis concubitus actu vllam iucunditatem ſentiebat.

e) Ill. Stein comm laud. p. LXI.

f) In viris ad coitum non diſpoſitis hoc ſemper contingere nolo, vir enim ne minime quidem ad coitum diſpoſitus in actu ipſo, praecipue dum imminet eiaculatio ſeminis, ſummam percipere poteſt voluptatem, quae ad extaſin quoque accedit.

phlegmatico valent, quae de foeminis phlegmaticis ſunt relata. Ex hiſce dictis apparet, ſigno conceptionis factae ex voluptatis ſenſu in vtroque ſexu ad extaſin accedente deſumto non ſemper fidem tribuendam eſſe.

§ IV.

II. Ad conceptionis factae ſigna ducitur *ſeminum vtriusque ſexus profuſio vno & eodem quidem momento facta.* g) Omittam omnino circa hanc rem diſquiſitionem phyſiologicam. Effuſionem fluidi cuiusdam ex genitalibus quoque foeminininis inter coitum fieri, obſeruationes docent; ſed contendi non poteſt, ad congreſſum foecundum eſſe neceſſarium, vt fluidum hoc cum eiaculatione ſeminis viri ſimul profundatur. 1) Raro enim talia ſubiecta coitum ineunt, quae eodem ſenſibilitatis & irritabilitatis gradu gaudent: v. gr. quum maritus phlegmatico temperamento ſeu ſenſuum hebetudine praeditus coitum cum vxore nimis ſenſibili exerceat; in hac profuſio certe prius efficitur, quam in viro, & nilominus conceptio fieri poteſt. 2) Si viro aliquamdiu cupidine coitum faciendi ducto occaſio ſubito obuenit, congreſſum cum foemina quadam ineundi; dum ob irritationem praegreſſam minus temporis ſpatium ſufficiet ad eiaculationem ſeminis in viro perficiendam, quum ſerius foeminae profuſio ſubſequatur.

§. V.

g) Roederer in libr. laud. p. 64.

§. V.

III. Magnam olim veteres ſequenti hypotheſi ab Hippocrate conſtitutae fidem habuerunt, nempe *ſiccitatem viri, quae ſeminis in vtero moram prodit, conceptionem facile indicare*; *h*) ſed hoc quoque ſigno fallimur. Non enim opus eſt, vt omnis ſeminis quantitas in vterum deferatur ac retineatur, quum parua ſolummodo ſeminis portio, quae remanet, ad conceptionem efficiendam ſufficiat, prout opinioni eorum quoque contradicit, qui hypotheſi aurae ſeminalis indulgent; obſeruatores nonnulli de mulieribus quibusdam referunt, quae cum hymene integro grauidae erant. *i*) In his certe non omni ſeminis quantitate ad vterum delata conceptio facta eſt. Proſtant obſeruationes adeo foemi-

h) Aristoteles in hiſtor. animal. Lib. VII. Cap. III. ait: „ſi ſemen in „ſeptimum diem intus permanſerit, conceptum iam eſſe, certum eſt."

i) A quibusdam autoribus adhuc dubitatur opponentibus, hymenem in actu laceratum poſt coitum cicatrice priorem formam recuperaſſe. Quod ipſum in hymene rigido & tenſo fieri mihi videtur, ſed non dubito, quin in muliere hymene nimis laxo praedita a viro membro virili tenui armato cum hymene integro conceptio effici poſſit. Ill. Osiander (praeceptor venerandus) enarrat, ni fallor, exempla varia memoriae digna (in den Denkwürdigkeiten für Heilk. und Geburtsh.). In hiſtor. acad. reg. ſcientiar. anni 1746. pag. 45. n. 4. reperitur hiſtoria foeminae, in cuius ouario D. Varocqvier inuenit foetum, quae hymenem habuit illaeſum. Cel. Albinvs in L. IV. annot. acad. Cap. X. ideo hymenis integritatem non ſemper eſſe haud vitiatae virginitatis ſignum, quia in puella nubili hymenem magnum, amplum & firmum, & tanto ore hiantem, vt virum pati potuiſſe videretur, nec tamen corrumpi, obſeruauit.

minarum absque immiſſione penis impraegnatarum. Celeb. de Graaf talium foeminarum ex obſeruatoribus affert exempla. Riolanus refert Anthropog. L. II. Cap. XXXV: „Quamuis nulla fiat generatio ſine penis immiſſione, & Galeni iudicio, multorum medicorum conſenſu, tamen Pariſiis mulier, quae ex laborioſo & difficili partu laceratas habuerit partes genitales, cuius nymphae & quatuor carunculae tam arcte coaluerant, vt vix ſpecilli cuſpidem foramen admitteret, nihilominus concepit. Intra pudendi labra effuſum ſemen vterus huius pabuli auidiſſimus attraxit, quemadmodum e profundis cuniculis ceruus ſerpentes narium inſpiratu allicit. Quum inſtaret partus, introducto ſpeculo matricis foramen dilatatum fuit in eam amplitudinem, quae ad egreſſum foetus neceſſaria erat. Sicque foetum perfectum emiſit mulier incolumis & ſuperſtes.“ Hiſtoriam facetam reperies apud Fabricium in Operat. Chirurg. de viro quodam, qui percontatus eſt Fabricium de confeſſione foeminae, quae ex viri amplexu ſine penis intromiſſione conceperat. Nec abſimilis hiſtoria in obſeruat. Lyseri ab Henrico a Moininchen relata legitur. — Nec raro quoque omnis ſeminis quantitas vtero iniicitur ſine facta conceptione.

§. VI.

IV. Alia phaenomena, paruo a conceptionis ſpatio elapſo, *ex irritatione neruorum oriuntur. Dolor k) quidam quaſi laeuioris co-*

k) Roederer lib. laud. §. 138. Ill. Stein comment. cit. §. 30.

colicae, circa vmbilicum inflatio, motus & calor vagus in infimo ventre, quem excipit horror totius fere corporis, artuum tremor inſequente laenioris frigoris ſenſu quin languent paulo poſt feminae, moroſae fiunt & animo deiecto propter artuum laſſitudinem, l) quietem, otium & vitam tranquillam amant, in vtero motum quendam inflationis quaſi per aliquot temporis minuta percipiunt, vel ſi borborygmi in eodem vagarentur, imo ſtudioſiores paulo feminae ipſum quendam in inferiori abdomine, ſede motum tranſuerſum verſus vnum alterumue latus ex ouario ad vterum tendentem nonnunquam obſcuro modo diſtinguunt; aliae vero borborygmis a nouo ſtimulo & ſpaſmo vniuerſali & inſueta irritatione & ſanguinis influxu inductis, vexantur. m) Aſt ex omnibus hiſce ſignis ad con-

l) Inſolita artuum laſſitudo a clariſſ. Wrisbergio bonum ſignum habetur in annotat, 59. ad Roedereri Element. art. obſtetr. §. 138. dicit: „inſolita artuum laſſitudo bonum ſignum eſt in foeminis, quae con„ceperant; deſignat enim excretionem ſpermatis foeminini factam eſſe, „prout ſimilis laſſitudo in viris poſt ſimilem excretionem obſeruatur.“ Sed in mulieribus, quarum ſtructura neruorum ſubtilior, irritabilitas & ſenſibilitas nimia eſt, inſolita quoque artuum laſſitudo ex nimia coitus irritatione ſummaque virium intentione oriri poteſt, ſine facta conceptione; quum & in foeminis, quae temperamento phlegmatico & ſenſuum quadam hebetudine praeditae ſunt, coitus foecundus obſeruetur, animi hac laſſitudine inſolita non ſubſequente.

m) Hiſce addit I. V. Müller aliud adhuc ſignum: ein gewiſſer Trieb, die Beine kreuzweiſe über einander zu ſchlagen, gleichſam als ob ſich die Natur dieſes Mittels bediene, die Gebärmutter zu verſchlieſsen. Vide I. V. Müller's medic. pract. Handbuch der Frauenzimmer-Krankheiten. 2ter Thl. §. 16.

conceptionem factam concludi non ſemper poteſt; haec enim phaenomena in mulieribus tenuioris fabricae, & quae magna ſenſibilitate gaudent, in hyſtericis praecipue ex alia quoque irritatione ſeu coitu non foecundo originem ducere, ſeu in mulieribus minori ſenſibilitate praeditis deeſſe, ſeu a quibusdam non obſeruari poſſunt.

§. VII.

V. Eadem ferme incertitudo in iis quoque latere videtur, quae fiunt praeterlapſis aliquot diebus. *Poſtridie conceptionem cum quadam anxietate vel moerore ſpaſtice tumet abdomen, & nihil ponderis abdomini incumbentis foemina ferre poteſt. n)* Etiamſi certius ex iis conceptionem factam eſſe apparet, in illis tantum, quae ſubtilioris corporis ſtructura, mobiliori neruorum fabrica, & maiori ſenſibilitate imbutae ſunt, obſeruantur.

§. VIII.

VI. Magnum certumque conceptionis factae ſignum ab Hippocrate o) multisque aliis autoritate Hippocratis innitentibus olim putatum eſt *orificium clauſum*; ſed certitudo huius ſigni a pluribus autoribus, praecipue ab Ill. Roederero p) & Clar. Steinio q) negata eſt.

§. IX.

n) Roederer lib. cit. §. 139.

o) Sectio V. aphor. 51. ait: „quae in vtero gerunt, harum os vteri „clauſum eſt.“

p) Roederer lib. cit. §. 140 ait: „orificium vteri clauſum conceptio„nem factam denotare nequit.“

q) Ill. Stein in Comment. laud. §. 32. ait: „verum clauſum aeque eſt

 “ori-

§. IX.

Ardua difficillimaque igitur cognitio conceptionis factae eſt, quum ſigna vſque huc detecta dubia & incerta ſint. Forſan alia adhuc reſtant phaenomena hucuſque non obſeruata, quibus conceptio facta indicatur. Mens humana attentione in poſterum maiori excitata certiora forſan circa hanc diagnoſin in lucem proferre poteſt. Dolendum fere eſt, quod phyſiologis ſeu naturae obſeruatoribus non contingat, phaenomena poſt conceptionem factam in corporibus ipſis obſeruare, quum mulieres minorem animi prodant attentionem, ſeu quae ab illis referuntur, incerta & dubia ſint. Experientia quidem docet, quod mulieres grauiditatem ſaepius paſſae multa exercitatione animique attentione ductae diſtincte & certe conceptionem factam praedicere poſſint. Sed ex quibus mutationibus hanc cognitionem habeant, ſaepius referre nequeunt; cognitio igitur magis empirica nulla nititur ratio-

„orificium ante ac poſt conceptionem, exceptis vltimis grauiditatis „hebdomadibus, inſtante partu. Neque tamen abſolute clauditur, „rima enim in virgine etiam ſperma transmittit, & partium rigor „propter irritationem illud totum aperit orificium. In foemina vir„gine non grauida ſemper clauſum dici poteſt hoc orificium, quare „in illis nil probat. Neque huius clauſurae probatio valet in illis „grauidis, quae ad medium vſque grauiditatis terminum non nun„quam obſeruantur menſtruatae; neque in illis, quae partum iam „aliquoties ediderunt, exacte clauſum eſt, ita vt circa rimam trans„uerſam hinc illinc plicae obſeruentur, quin exploratoris digitus in „ipſum vteri cauum penetrare, atque foetus caput tangere aliquan„do poſſit.“

ratione. Equidem ſunt quaedam, a quibus ſignis nonnullis ſaepius vno tantummodo ſigno conceptionem factam eſſe cognoſcitur; haec vero ſigna plerumque conſenſualia a quibusdam tantum obſeruantur indiuiduis diuerſa: igitur non valet concluſio, idem in omnibus fieri. Sed parum intereſſe mihi videtur, verum conceptionis factae momentum diſtincte & certe cognitum habere, maioris momenti eſt ſignorum poſt conceptionem factam cognitio, ſeu certa grauiditatis ipſius diagnoſis.

B. SIGNA GRAVIDITATIS.

§. X.

Sub grauiditate ipſa intelligitur iſta abdominis eleuatio, quae ab vno vel pluribus foetibus, coitu foecundo peracto ſeu conceptione facta progeneratis oritur, & ventris incremento ſenſim ſenſimque augetur. Diſtinguenda autem eſt grauiditas vera *naturalis* a grauiditate *praeternaturali:* quum haec abdominis eleuatio a foetu in vtero verſante originem ducat, dum grauiditas vera naturalis ſeu vterina appellatur. Sed quandoquidem foetus in variis etiam aliis corporis partibus, tubis ſcilicet Fallopianis, ouariis, cauitate abdominis, pelui & vagina *r*) locum habet,

r) Rariſſima huius grauiditatis exempla exiſtunt. Conf. NOEL in Journal de Medecine T. 52. überſetzt in den Auszügen aus den beſten mediciniſchen periodiſchen Schriften. 1ter Band. Leipz. 8. S. 67. & Ioh. GERSON Beobachtung bey einer Frau, die eine Frucht in ihrer Mutterſcheide drey Jahre und einige Monate lang getragen, welche durch den Hintern entbunden wurde. Hamburg. 1784. 4.

habet, dum grauiditas praeternaturalis vel extrauterina dicitur; inde grauiditas tubaria, ouaria, vaginalis. Grauiditas vera quoque *ſimplex* ſeu *multiplex* eſt; *ſimplex* nominatur grauiditas, ſi abdominis eleuatio ab *vno* in vtero foetu verſante oritur, *multiplex*, quum duo aut plures foetus in vtero ſedem habeant; vnde grauiditas gemellorum, trimellorum &c. Differt etiam grauiditas vera a grauiditate *ſpuria*: grauiditas *ſpuria* eſt, ſi vterus foetum nullum, ſed molam, polypum, ſeu alium tumorem, aquam &c. continet, quorum extenſione ſymptomata & phaenomena, quae in grauiditate vera obſeruantur, ſimilia producuntur. Ad grauiditatem ſpuriam omnes quoque morbi referri poſſunt, quae interdum grauiditatis verae ſpeciem praebent, v. gr. hydrops, aſcites, ventris extenſio ex menſtruis obſtructis, tumores in cauo abdominis &c. Grauiditas *mixta* eſt, ſi cum foetu naturali mola ſeu aliud corpus in vtero locum tenet. *s*)

s) Aliam grauiditatis diuiſionem magis fuſiorem ſubtilioremque vid. in D. Iman. Gottlieb Knebel's Grundriſs zu einer Zeichenlehre der geſammten Entbindungs-Wiſſenſchaft zum Gebrauche für angehende Geburtshelfer. Breſslau, Hirſchberg und Liſſa. 1798. 8. p. 370. §. 425.

Sectio I.
DE SIGNIS GRAVIDITATIS NATVRALIS.

I. SIGNA GRAVIDITATIS NATVRALIS SIMPLICIS.

§ XI.

Hisce de grauiditatis diuiſione praemiſſis, venio nunc ad ſigna grauiditatis, & quidem *naturalis verae ſimplicis.* Signa grauiditatis non modo ſaepius ambigua, ſed quoque fallacia ſunt, vt res ſane non raro maxima cum difficultate coniuncta ſit, certam iuſtamque ſtatuendi diagnoſin. Experientia docuit, quod & viri in hac arte peritiſſimi errare potuerint. *t*) Eo facilius a viris minore experientia praeditis, a medicis, nulla in arte obſtetricia cognitione exſtructis, & ab obſtetricibus praecipue imperitis improuidisque errores committi poſſunt. Doctrina igitur haec ambigua, imperfecta multisque difficultatibus obnoxia ſumma animi attentione eſt digniſſima. Multum ſaepe intereſt medici ſcire, quomodo in exhibendis medicamentis ab errandi periculo tutum ſeſe praeſtet; intereſt quoque parentum, vt

t) Zimmermann von der Erfahrung in der Arzneykunſt. 1ter Thl. Zürich. 1763. 3ter Bnd. 4tes Kap. S. 282. — Ill. Stark (praeceptoris venerandi) Archiv für die Geburtshülfe. 1ter Bnd. 1tes St. Nro. I. Ill. Stark viri in arte obſtetricia experientiſſimi atque doctiſſimi animi ſinceritas, qua errorem & incertitudinem confitetur, laude & imitatione digniſſima eſt. Conf. Pyl Repertorium für die gerichtliche und öffentliche Arzneykunde. 1ter Bnd. 2ter Abſchn. Nro. 2. & Faber in ſeinen chirurgiſchen Beobachtungen.

vt de filiae ſuae caſtitate non dubitent; intereſt ſaepe iudicum, foeminae capitis damnatae, grauiditatem vero cauſantis, ſtatum absque omni dubio cognoſcere; intereſt denique nuptae quoque ſcire, ſitne grauida, nec ne.

§. XII.

Signa grauiditatis, quae in omnibus fere grauidis obſeruantur, ſunt *vniuerſalia*; *ſingularia* autem quibusdam ſolummodo indiuiduis propria animaduertuntur. Vniuerſalia illa quoque dici poſſunt, quae in quauis apparent grauiditate; ſingularia autem, queis variae grauiditatis ſpecies diſtinguuntur, e. gr. grauiditas gemellorum, ouaria, tubaria, abdominalis &c. Signa grauiditatis alia ſunt *probabilia*, alia *certa*. Signa certa, propria, phyſica, pathognomonica nominantur, quae omnibus in foeminis nullo dubio obnoxiae grauiditatis praeſentiam indicant. Signa probabilia, rationalia, incerta non ſemper adſunt, nec ſine dubio ſiue cum certitudine monſtrant, an grauiditas adſit, nec ne. Magna eſt ſignorum incertorum copia, minor & ſaepius minima eſt illa ſignorum certorum, & interdum certitudo nulla.

1) *SIGNA EX AFFECTIONIBVS MORBOSIS.*

§. XIII.

Symptomata, queis grauiditas primo tempore indicatur, nituntur affectionibus quibusdam morboſis, quae plerumque ex irritatione nimia inſolitaque poſt conceptionem factam originem

ducunt.

ducunt. Haec ſymptomata mox maiora, mox minora eſſe poſſunt, prout irritabilitas & ſenſibilitas ſeſe habet, ſaepius diſparent, interdum in morbos ipſos abeunt. In mulieribus, quae prima vice grauidae ſunt, haecce ſymptomata maiora, minora vero in his apparent, quae ſaepius in grauiditatis ſtatu verſatae fuerant. Ex vno ſigno certa grauiditatis diagnoſis conſtitui non licet, aſt ex collectione & comparatione omnium phaenomenorum concluſio ad grauiditatem valet. De ſignis grauiditatis ſpeciatim ſermo erit.

§. XIV.

Inter varios fontes, ex quibus grauiditatis ſigna deduci poſſunt, de iis primo loquamur, quae ex irritatione neruorum oriuntur. Haec irritatio aut idiopathica aut ſymptomatica eſt. Idiopathica immediate in vterum agit; ſymptomatica vero irritationes in aliis corporis muliebris partibus per conſenſum vel ſympathiam progignit. Conſenſus plerumque ex anaſtomoſi neruorum vteri cum neruo intercoſtali explicatur. Innumerabilis ſane horum ſymptomatum copia, & nimis longum foret, ſi omnia, quae ab aliis obſeruata afferuntur, hic recenſere vellem. *) De praecipuis ſolummodo agitur.

*) Inter recentiores haec ſigna optime collegiſſe mihi videtur clariſſ. OSIANDER. Confer. F. B. OSIANDER's Lehrbuch der Hebammenkunſt. Göttingae. 1796. 8. S. 238. p. 272. Eiusdem: Reſultate von Bemerkungen über kränkliche und widernatürliche Zufälle vor und

a. *Signa ex affectionibus ſyſtematis neruoſi.*

§. XV.

Alteratio quaedam totius ſyſtematis neruoſi, horror & frigus, anxietas & moeror, calor ſaepius auctus, manus vrentes, dentium dolores, copioſa ſaliuae excretio, vertigo, tremor artuum, animi quaedam excandeſcentia, gaudium nimium, triſtitia, melancholia & mania, v) furor vterinus, viri faſtidium, inſolita artuum grauitas, pigritia, crebra dormiendi cupiditas animique deliquia, oculi profundi, retracti, liuidi, languidi, illacrymantes, faciei caloris naturalis mutatio, v. gr. foeminae pallentes rubent, & viciſſim rubentes pallent. Haec ſymptomata mox minora, mox maiora, mox ſerius, mox prius in grauidis obſeruantur, prout ſenſibilitatis & irritabilitatis gradus diuerſus eſt.

§. XVI.

während der Schwangerſchaft. in den Denkwürdigkeiten 2. B. 2. St. nro. V. pag. 394. — Caetera ſcripta ad hanc materiem pertinentia inuenies in clariſſ. PLOUCQUET initia Biblioth. med. pract. & chir. Tom. III. & Ch. L. SCHWEICKHARD tentamen catalogi rationalis diſſertationum ad artem obſtetr. ſpectantium. Francofurti ad Moenum. 1795. 8.

v) Inter rariora grauiditatis ſymptomata mania referri licet. Hanc obſeruandi occaſio mihi data erat. Mulier corpore robuſto plethorico praedita grauiditatis tempore ſemper in maniam incidit, quae maximum interdum adepta eſt gradum; poſt partum aufugit, ſed grauiditatis tempore iterum recedit. Haud ita multo poſt pie venerandus pater mihi de alia muliere (iudaea) narrauit, quae eodem ſymptomate per grauiditatem afficiebatur.

§. XVI.

Ex hiſce autem ſymptomatibus ſigna grauiditatis incerta ſeu fallacia deſumuntur. In quibusdam grauidis nulla eiusmodi ſymptomata obſeruantur; *x*) ad has praecipue mulieres ſenſuum hebetudine & ſtupore praeditas referre licet. Aliae ſubtiliore neruorum & muſculorum fabrica, igitur maiore quoque ſenſibilitate & irritabilitate gaudentes praecipue hyſtericae magis quidem hiſce ſymptomatibus in grauiditate affici poſſunt; ſed in iis quoque fieri poteſt, vt eiusmodi ſymptomata appareant, grauiditate omnino abſente. In iis irritatio nimia coitus ſolummodo non foecundi ad eiusmodi ſymptomata producenda ſufficere poteſt. Hoc modo eadem valent de grauiditatis ſignis, quae de incertitudine momenti conceptionis factae attuli. In mulieribus ſterilibus quoque obſeruantur eiusmodi ſymptomata; mulieri, marito & medico, queis antea ſterilitas adhuc ignota eſt, haecce phaenomena ad grauiditatem ſuſpectam anſam praebere poſſunt, quum eiusmodi ſymptomata ex coitus tantum ſtimulo nimio & maxima cum voluptate peracto originem ducant. Caeterum quoque ab aliis cauſis produci poſſunt, vnde praeſertim horum ſignorum incertitudo & fallacia naſci ſolet. In nimis longum ſane ſermonem producerem, ſi omnes hic recenſeantur cauſae, ex quibus haecce ſymptomata oboriri poſſunt, a medico obſte-

x) Duobus abhinc menſibus grauidae duae in noſocomium obſtetricium Wirceburgenſe receptae ſe ſe nullis eiusmodi ſymptomatibus per grauiditatem affectas fuiſſe confitebantur.

obſtetricio in pathologia morborum optime verſato eorum cauſae diuerſo modo inueniri & explicari poſſunt. Quanta licet horum ſignorum ſaepius incertitudo ſit, negari non poteſt, quod mulieres, vt experientia docet, ex variis eiusmodi phaenomenis crebra obſeruatione eruditae grauiditatis certitudinem praeſagiant.

b. Signa ex affectionibus ſyſtematis ſanguiferi.

§. XVII.

Alius fons, ex quo grauiditatis ſigna deſumuntur, eſt *plethora* & mutationes ſyſtematis ſanguiferi. Haecce ſymptomata plerumque ex menſtruatione oriuntur ſuppreſſa; & quidem primis grauiditatis menſibus praecipue obſeruantur, quo tempore non tanta ſanguinis quantitate ad foetum nutriendum opus eſt, inde plethora corporis muliebris excitatur. Interim varia eorum ſymptomatum, quae in grauiditate apparent, non ſemper a plethora, ſed quoque a conſenſu neruorum originem ducunt. De ſymptomatibus notatu digniſſimis a plethora productis nunc ſermo erit, infra ſingulatim de menſtruatione agitur.

1) *Symptomata, quae a congeſtionibus verſus caput & partes ſuperiores oriuntur.*

Hisce adnumerantur: rubor & inflatio faciei, vertigo, capitis dentiumque dolores, aurium tinnitus, ardores fugaces, ephelides ſeu maculae faciei, puſtulae, pruritus narium & ſanguinis

guinis ex iis effluxus. Collum interdum tumeſcens, bron hoceles, ſtrumarum magnitudo aucta, pulſus carotidum auctus &c.

2) *Symptomata a congeſtionibus verſus cor & pulmones.*

Ad haec referuntur: reſpiratio difficilis, anxietas, aſthma, animi deliquia, tuſſis, haemopthyſis, *y*) &c.

3) *Symptomata a congeſtionibus verſus mammas.*

De his infra agitur.

4) *Symptomata a congeſtionibus verſus partes & extremitates inferiores.*

Ad haec praecipue referre licet *haemorrhoides fluentes.* In mulieribus diſpoſitione ad haemorrhoides praeditis, ſeu haemorrhoidibus coecis ante grauiditatem laborantibus obſeruatur, quod grauiditatis tempore earum fluxus promoueatur, ſed experientia quoque do-

y) Haud ita multo poſt hoc ſymptoma, quod haemopthyſis eſt, in grauida ad Noſocomium obſtetricium Wirc. recepta a me obſeruatum eſt. Symptomata ex congeſtionibus verſus pulmones circa ſeptimum grauiditatis menſem ita augebantur, vt venaeſectione ſolummodo minui potuerint; notatu dignum eſt, quod grauida haec architectura phthiſica praedita ſit. Haemopthyſis in grauidis architectura phthiſica praeditis grauiditatis tempore praeſertim obſeruari videtur. A muliere quadam mihi relatum eſt, quae in grauiditate non ſolum ſaepius haemopthyſi afficiebatur, ſed in poſterum quoque extra grauiditatem poſt coitum quemuis cum marito peractum ſubito in animi quoddam deliquium incidit, quod inſecuta eſt haemopthyſis ſummo rubore faciei & praeſertim genarum concomitata. Haec quoque mulier architectura phthiſica praedita erat.

docet, quod mulieres, quarum haemorrhoides extra grauiditatem fluxerunt, praecipue quum vices forſan menſium gefſerint, grauiditatis tempore ab earum fluxu fuerint liberatae.

Ad ſymptomata a congeſtionibus verſus extremitates inferiores *varices* praeſertim numerantur. Diſtinguendi autem ſunt ab illis, qui compreſſione vteri oriuntur. Illorum cauſa plethora vera eſt, z) & primo plerumque grauiditatis tempore animaduertuntur, in poſterum quoque tertio aut quarto grauiditatis menſe iterum diſparent; a muliere mihi narratum eſt, quod varices tertia aut quarta grauiditatis hebdomade in cruribus obſeruarit. Varices, qui a compreſſione vteri originem ducunt, vltimo plerumque grauiditatis termino obſeruantur. Eadem ratione initio & vltimo grauiditatis termino *oedema pedum* obſeruare licet, raro autem primis grauiditatis menſibus, plerumque vltimo eius termino, quo cauſa compreſſione vteri nititur.

Ex hisce quoque ſymptomatibus certa grauiditatis diagnoſis conſtitui non poteſt. Nec in omnibus grauidis ſemper obſeruantur, & quum adſint, certa ad grauiditatem concluſio non valet,

z) A varicibus, qui a plethora vera oriuntur forſan & illi ſunt diſtinguendi, qui in grauiditate a plethora ad volumen procreantur; irritatio neruorum praecipue poſt factam conceptionem in foeminis maiore praeſertim ſenſibilitate ac irritabilitate praeditis talem quoque producere poteſt effectum, vt conſtrictione vaſorum enata plethora ad volumen oriatur, & circulatione quodammodo impedita varices venarum extenſione producantur.

valet, quum cauſae horum ſymptomatum diuerſae eſſe poſſint. Fingas, poſt ceſſationem fluxus menſtrui iſta apparuiſſe ſymptomata a plethora ſic dicta, tamen grauiditatem in dubium vocare adhuc licet, quum menſes non a conceptione facta, ſed ab aliis forſan cauſis ſupprimi potuerint. Varices & oedema pedum, ex quibus mulieres quaedam primis hebdomadibus grauiditatem praeſagiunt, in aliis fallacia eſſe poſſunt; in quibusdam enim interdum periodi menſtrui inſtantis ſignum exhibent; ſeu apparent quoque poſt menſtruationem ab alia cauſa ſuppreſſam,

§. XVIII.

Poſtquam de ſignis a plethora & mutationibus ſyſtematis ſanguiferi egerim, non incongruum mihi videtur, quaedam *de cruſta inflammatoria (ſogenannte Entzündungshaut der Schwangeren)* hac occaſione data proferre, de qua inter recentiores autores D. Knebel *a*) mentionem facit. Quid de hac mutatione ſit cenſendum, & an certum exinde grauiditatis ſignum ſit deſumendum, ea proferam, quae obſeruationes quaedam me edocuerunt.

Saepius mihi contigit, venaeſectiones in grauidis inſtituere, ſed cruſtam pleuriticam in ſanguine emiſſo nunquam vidi, niſi in

a) Conf. libr. citat. p. 378. §. 432. nro. 4. ait; ſollte ſich wohl der gleichſam inflammatoriſche (quaſi inflammatorius) Zuſtand nicht bloſs auf dieſen Zeitpunkt der Empfängniſs einſchränken, ſondern auch über dieſen hinaus vielleicht auf die ganze Schwangerſchaft erſtrecken. Ausſichten zu einem neuen willkürlichen Schwangerſchafts-zeichen, zu Probeaderläſſen.

in vna grauida, quae ſtatu inflammatorio a cauſa accidentali excitato affecta erat. Goettingae quoque hyeme praeterlapſa clar. Osiander ſanguinem e grauidae brachio emiſſum mihi oſtendit, vix vnquam ſanguinem cruſta pleuritica tantae craſſitudinis obductum vidiſſe recordor. Sed ſymptomata inflammatoria vehementia, v. gr. pulſus plenus, durus, rubor calorque faciei auctus, ſumma anxietas pectoris tuſſi concomitata &c. venaeſectionem indicarunt. In hac quoque grauida cruſtae pleuriticae origo ex ſtatu inflammatorio excitato deriuanda fuit. Ex obſeruationibus hiſce enarratis incertitudo huius grauiditatis ſigni apparere mihi videtur. Equidem negari haud poteſt, quod grauidae diſpoſitione inflammatoria *b*) prae caeteris praeditae ſint; experientia quoque docet, quod data occaſione facillime morbis inflammatoriis corripiantur; eo tempore cruſta pleuritica in ſanguine emiſſo obſeruari poteſt, ſed quum diſpoſitio inflammatoria ſola in grauiditate adſit, raro inuenitur, mihique numquam hanc obſeruare contigit. Inter exempla quidem interdum non rariora pertinet, quod in hominibus plerumque plethoricis, robuſtis & diſpoſitione ad morbos inflammatorios inſtructis ſtatu iam mere inflammatorio omnino abſente in ſanguine emiſſo cruſta pleuritica animaduerſa fuerit, (vt nonnunquam vidi) ita quoque in mulieribus, in quibus grauiditas incerta adhuc ſuſpectaque habetur, haec cruſta pleuritica obſeruari poteſt, & facile ad

b) Forſan Dr. Knebel ſub ſtatu *quaſi inflammatorio* diſpoſitionem hanc intelligit.

ad errorem ducimur, ſi cum certitudine grauiditatem exinde praeſagire conamur. Qua igitur ratione huius ſigni certitudo valorem perdit; caeterum ſaepius difficillimum eſſe arbitror, in mulieribus hyſtericis, delicatulis timidisque praecipue venaeſectionem inſtituere, vt ex ſtatu ſanguinis inuento grauiditatis certitudo ſeu incertitudo conſtitui poſſit. In caſu ſolummodo forenſi (ponamus, quod ex ſanguine emiſſo certum quoque grauiditatis ſignum ſit deſumendum) grauida geſtationem ſimulans ad venaeſectionem cogi poſſet.

c. Signa ex affectionibus ſyſtematis digeſtionis.

§. XIX.

Quantus ſit conſenſus organorum digeſtionis ventriculi, praecipue cum caeteris corporis humani partibus, variae mutationes diuerſaque phaenomena in morbis variis docent. Aſt memoriae ſane digniſſima eſt ſympathia, quae grauiditatis tempore haec organa cum genitalibus exercent; inde varia & mira interdum ſymptomata, quae eo obſeruantur tempore. Oriuntur partim ex irritabilitate & ſenſibilitate organorum digeſtionis aucta, partim minuta; quae vero diſtinguenda ſunt ab iſtis, quae compreſſione ventriculi producuntur, dum vterus ad colon & ſtomachum aſcendit. Haec vltimo grauiditatis tempore ſeſe exſerere ſolent, illa vero primo grauiditatis termino.

Ad praecipua ſymptomata, quae functiones organorum digeſtionis laeſas in grauiditate oſtendunt, referuntur: *nauſea, vo-*

mitus,

mitus, ſingultus, appetitus nullus aut depravatus, immodicus, irregularis, pica, c) ſaliuatio moleſta, malacia, dolor ventriculi, cardialgia, diarrhoea, obſtructiones alui, ructus, flatus, dolores colici, exanthemata eryſipelatoſa, ephelides &c.

Iure ex hisce ſymptomatibus probabilia tantum grauiditatis ſigna ſumuntur, in aliis grauiditatis tempore deeſſe, *d*) ſeu in quibus obſeruantur mulieribus, ex aliis diuerſisque cauſis originem ducere queunt. Praecipue medico obſtetricio cauendum eſt, ne ex *nauſeae & vomitus* effectibus, quibus foeminae grauidae non raro

c) Tribus abhinc annis praeterlapſis picam rarioris generis in grauida obſeruandi occaſio mihi data erat in noſocomio obſtetricio Wirceb. Foemina ante grauiditatem nunquam carnem, quam diu vita fruebatur, commedit, ne quidem haec commedere potuit; tanto faſtidio carnem auerſata eſt, vt, quum carnis quidpiam ſumere tentaret, ſubito per vomitum eiectum ſit. Victum ex vegetabilibus ſolum ac cibis ex lacte paratis quaeſiuit. Aſt mirabile dictu grauiditatis tempore tanta cupiditate tantaque appetentia ad carnem correpta eſt, vt maxima cum voluptate, cibis ex carne confectis frui poſſet; initio quidem dolore ventriculi pungente & diarrhoea per aliquot tempus affecta erat, ſed in poſterum omnes ceſſarunt moleſtiae. Fuſius huius grauidae hiſtoriam elaboratam tradidi *ſocietati Göttingenſi amicorum artis obſtetriciae.* Zweyte Nachr. von den Verhandl. der Geſellſch. von Freunden der Entbindungsk. zu Göttingen, mitgetheilt vom Prof. Osiander. Göttingen. 1798. 4. p. 10.

d) Duae grauidae in noſocomio obſtetric. Wirceb. haud longo tempore praeterlapſo de ſymptomatibus grauiditatis a me interrogatae, grauiditatis tempore nullis ſymptomatibus hic denominatis affectas fuiſſe reſponderunt.

raro quidem afficiuntur, non ſemper grauiditatem cum certitudine nulli dubio obnoxiam praedicat. Haecce enim ſymptomata, quae plerumque poſtridie vel paucis a conceptione diebus apparere ſolent, ac per ſeptimanas, interdum per menſes quoque durant, & quibus mulieres ſaepius leuantur, non ſemper grauiditatis effectus ſunt. Cauſa ex aliis quoque irritamentis in corpus agentibus repeti poteſt, quae vel aperto vel occulto modo organa digeſtionis in conſenſum trahunt, ita quidem, vt ex his eiusmodi praeternaturales producantur irritationes, quas nauſea primo, deinde vomitus ſequuntur. Inter horum effectuum cauſas potiſſimum ſuſceptae quaedam particulae contagii eſſe poſſunt, e) quae diu in corpore latere, atque vel per neruorum conſenſum, vel ad ventriculum ipſum delatae continuo illum laceſſere queunt, licet cognita eiusdem indoles non ſit. Atque porro vteri vitia, fluxus menſium ſuppreſſus, ſanguinis in eo coagula, hydrops, polypus, ſcirrhus vel alius tumor in cauitate vteri, vel extra eam enatus, e. gr. in regione ouarii vel in ouario ipſo, &c. interdum cum maxima difficultate recte a medicis dignoſcuntur, & falſo pro grauiditate vera habentur; quum eiusmodi ſymptomatibus ſupra enarratis medicus decipiatur. Frequentius autem cauſa horum ſymptomatum primis viis nititur, quum ſordes ſic dictae gaſtricae, ſaburra adſint, ſeu quum functiones organorum digeſtionis praeſertim ventriculi, ex debilitate & nimia ſenſibilitate

e) Conf. Diſſert. de ſignis verae grauiditatis ſaepe dubiis, auctore C. G. Rockstroh. Lipſiae. 1781. §. V.

litate laeſae ſint. Interdum accidit, vt medicus experientiſſimus non ſatis conuictus, grauiditatem in dubium vocare cogatur.

Caueat quoque medicus, ne *ex pica & malacia* cum certitudine praedicat grauiditatem. Negari quidem non poteſt, quod pica & malacia praecipue in grauidis obſeruentur; ſed hanc affectionem foeminis grauidis propriam putare, ac exinde certum ſemper grauiditatis ſignum ſumere, vitium eſſet. Obſeruationes *f*) enim oſtendunt, quod ex aliis quoque cauſis pica & malacia oriri poſſint, grauiditate omnino abſente. Experientia docet, quod & diſpoſitiones quaedam corpori inſitae, generationi picae & malaciae faueant; eo facilius autem affectiones iſtae produci poſſunt, dum cauſae praediſponentes potentiis quibusdam occaſionalibus excitantur. Ad praecipuas picae & malaciae cauſas praediſponentes referuntur: laxitas corporis totius, praecipue ſtomachi & inteſtinorum, debilitas naturalis vel acquiſita, ſenſibilitas & irritabilitas maior, moeror continuus, obſtructio viſcerum, morbi ſpaſtici, melancholia & conſuetudo; *g*) medico autem naturae muliebris rationem habenti facile apparebit, quod foeminae hisce praeſertim cauſis praediſponentibus prae-

f) In variis voluminibus Ephemer. natur. curioſ. ZACVTI LVSITANI prax. med. admirab. Lib. II. obſeru. 108. G. G. PLOVCQVET initia Biblioth. med. pract. & chirurg. Tom. VI. Vide pica.

g) I. CHR. SCHROEN praeſ. Ill. GRVNERO (praeceptore ad cineres colendo) Diff. ſiſtens picam & malaciam morbi genus graue & curioſum. Jenae. 1791. 4.

praeditae inueniantur; foeminis enim ortu illuſtri natis, molliter quoque educatis, foeminis ſubtiliore ſtructura fibrarum praeditis, foeminis ſic dictis delicatulis non deeſt laxitas corporis vniuerſi & debilitas naturalis vel acquiſita. Prioribus vitiis tunc proxima ſunt ſenſibilitas maior & morbi ſpaſtici; mulieres enim, quarum corporis ſtructura laxa eſt & infirma, ſenſibilitate quoque maiore gaudent, hyſteria, morbis neruoſis aliisque affectionibus ſpaſticis laborant. Eo facilius quoque ad appetitum peruerſum vel ad nimiam ciborum appetentiam vel ad picam vel malaciam pronae ſunt. Qua ratione moerore iſto continuo, obſtructione viſcerum, melancholia & conſuetudine diſpoſitio ad picam & malaciam produci poſſit, ex pathologicis quoque rationibus facile cuique medico apparebit.

In mulieribus ita diſpoſitis pica cauſis occaſionalibus eo facilius procreari poteſt. Quicunque ſtimuli illam excitare queunt, v. gr. humor gaſtricus acer, corruptus, acrimonia in primis viis acida, bilis peracris & copioſa, vermes, metaſtaſis praeſertim exanthematica, ſcabioſa, rheumatica, podagrica, phantaſia viuida, imaginatio deprauata &c.; quidquid enim digeſtionis organa irritare & pungere poteſt, valet praecipue ad appetitum deprauandum & peruertendum.

Ex hisce cauſis denominatis acidum vel in primis vel ſecundis viis plurimum confert ad iſtum effectum producendum; haec enim acrimonia neruos vehementiſſimo modo laceſſere & pungere,

humorum craſin mutare, atque animam ita excitare poteſt, vt eiusmodi inſuetus producatur appetitus. In illis, quarum menſium fluxus diu ſuppreſſus fuerat, & in chloroticis, in quibus hoc acidum praedominari ſolet, hic morbus crebrius obſeruatur. Ex hisce dictis apparet, non ſemper ex pica & malacia certum grauiditatis ſignum eſſe deſumendum, quum haec affectio aliis diuerſisque cauſis oriri poſſit.

d. *Signa ex affectionibus ſyſtematis vriniferi.*

§. XX.

Signa grauiditatis, quae ex mutationibus ſyſtematis vriniferi deſumuntur, partim ad *vrinae ſecretionem*, partim ad *eiusdem excretionem mutatam* ſpectant. Raro quidem obſeruatur, quod *vrinae ſecretio* grauiditatis tempore ſubiiciatur mutationi; quae fieri quoque poſſunt mutationes partim ex irritatione conſenſuali, partim ex compreſſione in regiones lumbales explicandas eſſe puto. Experientia docet, vrinae ſecretionem aliis ſaepius irritamentis in corpus humanum agentibus facile peruerti; nonne quoque irritatione poſt factam conceptionem ſimilem fere poteſt ſubire mutationem, ex qua dein varius oritur vrinae color & conſiſtentia? Renes quoque in grauiditate dolore affici poſſunt, cuius cauſa vel compreſſione vteri *h*) vel partium adiacentium

h) Dolores renum aliaeque mutationes ſecretionis vrinae, quae in grauiditate a compreſſione vteri oriuntur, in obliquitate vteri plurimum obſeruari, facile intelligendum eſſe puto.

tium ſympathia nititur. Peritonaeum enim, cuius productio ligamenta format lata, per haec cum renibus eſt connexum.

Sed crebrius grauiditatis tempore *vrinae excretio* ſubit mutationem. Veſica vrinaria eiusdemque collum duplici modo affici poſſunt. Grauidae enim vel retentione vel incontinentia vrinae laborare queunt; in priori caſu conatu quidem gaudent ad mingendum, absque vero effectu, tota expanditur veſica, debilitatur, & facultatem ſeſe contrahendi perdit. Vrina, diuturna mora acrior reddita, veſicam irritat, eandemque acerbiſſimis doloribus afficit, quos inflammatio faepius ſubſequi ſolet. In poſteriori caſu continuo mingunt, quod quidem non dolorificum eſt, attamen magna parit incommoda. Cauſa vtriusque huius effectus in grauiditate eſt compreſſio veſicae vrinariae ab vtero turgeſcente orta, ita tamen, vt, ſi illa pars veſicae comprimatur, hic oriatur effectus; ſi vero alia, alius. Nimirum ſi collum veſicae ab vtero extenſo comprimatur, exitus vrinae impeditur, permanente tamen ſimul huius adduxu per vretheres: inde accumulatio lotii in veſica producitur, & cum hac ea incommoda, quae recenſui. Hoc accidere ſolet tertio aut quarto menſe, quo tempore vterus adhuc in peluis cauo ſitus eſt; praeſertim vero iis id ſymptoma proprium inuenitur, quae prolapſu vteri laborant. Attamen in vltimis quoque grauiditatis menſibus oriri poteſt; nam foetu ſic naturaliter locato, vt caput praeceps ſit, comprimit collum veſicae.

Inuoluntaria autem vrinae excretio, ſeu incontinentia vrinae,

nae compreſſionem quoque ab vtero extenſo ortam cauſam habet, & quidem vltimis grauiditatis menſibus, quid? quod grauidae nonnullis plerumque ante partum diebus de hac queruntur affectione. Ab vtero enim turgeſcente, praeſertim a foetus capite, veſicae fundus collum verſus comprimitur, hac compreſſione ſpatium veſicae imminuitur, vrina collum verſus cogitur deſcendere, irritat veſicae ſphincterem, quo fit, vt exitus concedatur vrinae. Quum vero id, quod primum eſt, pauculum vrinae vna vice in veſica accumuletur & ſecernatur, quumque, quod alterum eſt, ſingulis vicibus guttulae quaedam vrinae relinquantur, hae collum irritant, indeque ſolito frequentius vrinae ſtillicidium fere continuum ſuboritur.

Hiſce de renum & veſicae vrinariae mutationibus, quae geſtationis tempore obſeruantur, adiiciendum eſt, quod ex iis quoque non certa ſemper deducenda ſit grauiditatis diagnoſis, praeſertim ex vrinae ſecretione peruerſa; certiora autem ſigna ſunt ex vrinae excretione mutata. Caeterum ad errorem ducere poſſunt, quum diuerſis cauſis vrinae ſe- & excretio mutari & renes & veſica vrinaria affici poſſint. Ex vrina medicorum adinſtar, qui morbos ex vrina diiudicant, & praeſagiunt, grauiditatem quoque cum certitudine praedicere, non ſolum quam maxime incertum, ſed quoque ridiculoſum & abſurdum foret.

e. Signa ex affectionibus aliorum corporis mulíebris organorum.

§ XXI.

Sunt quidem & aliae multaeque affectiones, quae in variis adhuc corporis muliebris organis eiusdemque partibus grauiditatis tempore obſeruantur, ad quas *dolores dentium, capitis, inguinum, pectinum, lumbalium, pedum inflammationes topicae, eryſipelatoſae, ophthalmiae &c.* De quibusdam eorum iamque mentionem feci, aliaeque ſunt minoris momenti, & ratione grauiditatis diagnoſis tantae incertitudinis, vt de illis fuſius agere non operae pretium mihi videatur.

2) *SIGNA E MORBORVM SECESSV.*

§. XXII.

Variis diuerſisque ſymptomatibus morboſis variisque organorum morbis ipſis, ex quibus grauiditatis ſigna petuntur incerta & coniecturabilia, praemiſſis, mirum phaenomenon haud praetereundum eſſe puto, *quod interdum grauiditatis tempore morbi vel interni vel externi, ſi grauida illis laborat, euaneſcant.* Auditus difficilis, vitia organi viſus, ophthalmiae chronicae, mania, melancholia, exanthemata varia, chloroſis, aſthma, tuſſis chronica, phthiſis praeſertim, febres intermittentes, herniae, tumores variaeque excreſcentiae grauiditate tollebantur. Nimis longa foret pertractanda a me diſquiſitio, vnde cauſa morborum in grauiditate ſeceſſus eſſet quaerenda: ſed haud difficile videri poteſt, iſtud phaenomenon ex phyſiologicis, pathologicis & pſychologicis

gicis

gicis explicare rationibus, dum animum meditantem in mutationes intendimus, quae grauiditatis tempore in corporis & animi functionibus producuntur. Caeterum iſtud quoque phaenomenon certis grauiditatis ſignis non eſt adiiciendum, quum, grauiditate omnino abſente varios ſaepe morbos euaneſcere poſſe, quin a medicis curentur, experentia doceat. Quid ad morbos ſaepius remouendos, qui nullis remediis ſunt ſanandi, varii aetatis periodi, aeris climatisque mutatio aliaeque circumſtantiae &c. conferre poſſint, ſatis ſatisque conſtat.

§ XXIII.

Alios fontes, ex quibus ſigna grauiditatis certiora ab aliis dicta deſumuntur, perſcrutari conor. Referenda hic ſunt ſigna ex functionibus vteri mutatis, & iisdem, quae in ventre, in mammis & genitalibus denique accidere ſolent.

3) *SIGNA EX FVNCTIONIBVS VTERI MVTATIS.*

§. XXIV.

Ad praecipuas extra grauiditatem vteri functiones refertur excretio menſtrua, quae plerumque, quando foemina peruenerit ad pubertatem, ſeſe prodit variis ſymptomatibus concomitata. Neceſſe autem eſt, vt foetus per iuſtum tempus in vtero geratur, nutriatur & creſcat; neceſſe quoque eſt, vt adſit fons, e quo foetus alimentum ſuum hauriat. Cui bene a natura conſultum eſt: ſcilicet grauiditatis tempore ceſſat fluxus menſtruus, vt foetus nutriatur. Ex ceſſatione igitur fluxus menſtrui, omnibus

bus fere medicis & obſtetricibus & foeminis, ſi fluxus ceſſet catameniorum, grauiditatis oritur ſuſpicio.

Iure quidem menſtruationem ſuppreſſam ad grauiditatis ſigna referre licet; ſed nunquam geſtationis periodum ſemper cum certitudine indicat, vt ex ſequentibus apparebit. Nulla enim datur regula absque exceptione: ſic quoque non ſemper cum menſium ceſſatione grauiditas coniuncta eſt, nec cum grauiditate emanſio menſium. In grauiditatis diagnoſi ex ſuppreſſione menſium prouide eſt perſpiciendum, vtrum menſium ceſſatio ea ſit, quae ab aliis oboritur cauſis, & morboſa appellari debet; vel an illa naturalis menſium ſit abſentia, quam plerumque in grauidis obſeruamus; diagnoſis in hoc caſu dubia & difficilis. Variae & diuerſae exiſtere poſſunt cauſae, quibus grauiditate abſente producitur menſium ceſſatio. Ad praecipuas referuntur: Spiſſitudo ac denſitas humorum & ſanguinis praeſertim mucoſa, vel craſis eorum phlogiſtica; inde fit, vt ſanguinis menſtrui exitus per vaſa vterina ſubtiliora impediatur. Diſpoſitio mucoſa in mulieribus corpore laxo & debili praeditis vitaeque ſedentariae inſeruientibus, phlogiſtica autem in foeminis corpore robuſto plethorico inſtructis, in ruſticis victu denſiore ac vita exercitata vtentibus inuenitur. Quum igitur medicus obſtetricius in eiusmodi ſubiectis ex menſtruorum defectu hauriat grauiditatis ſuſpicionem, neceſſe eſt, ne decipiatur, vt huius cauſae habeat rationem. Error eo facilius committi poteſt, quum per aliquot forſan menſes catameniae abeſſe poſſint, quin exinde producantur ſymptomata morboſa.

Numeroſiſſima ac frequentiſſima menſium ſuppreſſorum cauſa eſt ſpaſmus earum partium, quae ſanguinem menſtruum emittunt. Spaſmi & ſpaſmodica vaſorum excernentium conſtrictio in foeminis debilioribus & maiore ſenſibilitate ac irritabilitate praeditis facilius produci poſſunt: in rigidioribus autem haec ipſa primitiua corporis conſtitutio iam ſpaſmus quodammodo eſt. Forſan quoque plures cauſae ſic dictae mechanicae, v. gr. tumores ac polypi vteri ſaepius exiguam tantum huius organi partem obſidentes irritatione & ſtimulatione ita agere poſſunt, vt ſpasmodica vaſorum excernentium oriatur conſtrictio, qua menſes ſupprimuntur. Aliae adhuc vires, quae in corpus muliebre agunt, e. gr. animi pathemata praeſertim repentino ac impetuoſo modo agentia, vt ſunt ira, timor; frigus inprimis pedibus adplicatum, irritationes abdominales, vermes &c. ſpaſmum & menſium obſtructionem producere poſſunt. Quid rigiditas vaſorum vteri, quid laxitas & debilitas, quid humorum fortior adfluxus in partes genitales impeditus partim a cauſis mechanicis, partim ob congeſtiones ſanguinis ad alia loca, quid omnes hae cauſae & aliae adhuc ad menſium ſuppreſſionem conferre poſſint, experientia ſatis ſatisque docet.

Sed euenire quoque poteſt, vt ex menſium mutationibus grauidatis ſignum deſumi nequeat. Experientia enim docet, quod in foeminis grauidis fluxus menſtruus ad medium vſque geſtationis terminum, imo per totum eius ſpatium modo cum, modo ſine foetus detrimento ſubduret. In plethoricis & in illis, quae

alias

alias nimium ſanguinis affluxum ad partes genitales habent, ac quae laxitate cum ſenſibilitate ac irritabilitate nimia praeditae ſunt, per medium grauiditatis terminum interdum quoque ad vltima vſque partus inſtantis tempora menſes fluere poſſunt. In plethoricis integerrima valetudine gaudentibus ſine vlla in embryonem redundante noxa, ſed potius cum euphoria a ſanguinis abundantia, ne ſuffocetur infans, aut ne in alia grauiſſima ſymptomata facile coniiciatur, natura ſeſe liberare nititur. Falſa eſt igitur HIPPOCRATIS opinio, *qui foetum, ſi in praegnante purgationes menſtruae curſum ſuum teneant, bene valere non poſſe*, aſſerit.

Sed a fluxu menſtruo per grauiditatem apparente diſtinguendae ſunt haemorrhagiae, quae forſan inſertionem placentae in vteri orificium ſeu abortum imminentem indicant. Fluxus menſtruus plerumque tempore periodico, ſine cauſa occaſionali magni momenti, ſine doloribus, ſine coagulis ſanguineis & absque magna orificii vterini dilatatione apparet. Caeterum diſquiſitio, an fluxus menſtruus per grauiditatem apparens ex corpore vteri, ſeu ex eius collo habeat originem, ad grauiditatis diagnoſin haud multum aut nihil conferre mihi videtur.

Praeterea experientia docet, quod foeminae menſtruis nunquam praegreſſis tamen concipere poſſint; *i*) in illis ex menſium mu-

i) Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. III. Obſeru. 132. 265. Ann. VI. & VII. Obſ. 64. Dec. II. Ann. 1. Obſ. 41. Ann. IV. Obſ. 126. Ann. V. Obſ. 120.

mutationibus nil concludi poteſt. Porro quum in quibusdam, quae nunquam fluxum menſtruum ante conceptionem ediderunt, poſt conceptionem menſes appareant, medicus facile decipi poteſt, dum ex menſibus prima vice apparentibus grauiditatis ſuſpicionem non ducit. In foeminis, quarum fluxus menſtruus per tempus aliquod erat ſuppreſſus *k*) & dum concipiunt, ex menſium mutationibus haud vllum grauiditatis ſignum ſumere licet.

Ex omnibus hisce relatis ſequitur, quod medico obſtetricio prudenti & prouido, nec ex menſibus ceſſantibus certum grauiditatis ſignum deſumere, nec ex iisdem conſiſtentibus grauiditatem cum certitudine negare, non ſemper liceat, & quam facile decipi poſſit, quum foeminae nunquam menſtruatae, ſeu quum menſes per aliquod tempus ſuppreſſi fuerint.

4) *SIGNA*

120. Ann. VI. Obſ. 218. Dec. III. Ann. I. Obſ. 23. Ann. VII. & VIII. Obſ. 19. 41. Cent. VII. Obſ. 72. MORGAGNI de ſed. & cauſ. morb. Ep. XLVII. Art. 3. SOMMER Diſſert. de concept. ſine menſtruis biga caſuum confirmata. Jen. 1786. STARK's Archiv für Geburtshelfer. II. no. 7.

k) Tribus abhinc menſibus praeterlapſis grauida in noſocomium obſtetricium Wirc. eſt recepta, cuius fluxus menſtruus per annum dimidium ante conceptionem iam erat ſuppreſſus. Quum foemina per hoc temporis ſpatium menſes non haberet, ne minime quidem ducta eſt ad grauiditatis ſuſpicionem, donec ventris intumeſcentia aucta impraegnationem illi denunciaret.

4) SIGNA EX VENTRE MVTATO.

§. XXV.

Mutationes ventris, ex quibus grauiditatis ſigna deſumuntur, ita ſe habent:

α. Venter intumeſcit.

β: Durities diſtincta & finibus incluſa ſentitur, quae manibus explorantibus vterum extenſum indicat.

γ. Prominet vmbilicus.

δ. Foetus in vtero haerentis motus percipitur.

De mutationibus hisce ſpeciatim nunc ſermo erit.

α. *Intumeſcentia ventris.*

§. XXVI.

Intumeſcentia ventris ex vteri incremento in grauiditate vera naturali originem petit. Ante, tertium imo quartum menſem ex intumeſcentia ventris grauiditatis ſignum ſumi non poteſt. Mox enim poſt conceptionem vſque ad tertium menſem finitum vterus magis intra peluim ita abſconditur, vt abdomen magis magisque complanetur. Quarto menſe abdomen quidem intumeſcit, ſed durus globus diſtincte non percipitur, niſi manu abdomini impraegnatae applicata illi tuſſis cieatur. Quinto grauiditatis menſe intumeſcentia abdominis in omnibus eius regionibus iam eſt aperta; vteri altitudo oſſa pubis atque vmbilicum inter obſeruatur; ſeptimo duos vel tres pollices vmbilicum ſuperat; octauo mediam

mediam inter vmbilicum & ſcrobiculum cordis regionem occupat, vſque dum nono demum menſe ipſum ſcrobiculum attingat. Decimo menſe, quo vterus iterum deſcendit, margo vteri ſuperior eandem iterum occupat regionem, in qua octauo obſeruatur menſe. *l*) Quum octauus menſis cum decimo facile poſſit commutari, ſequentis rationem habeamus diſcriminis neceſſe eſt. Tumor nimirum decimo menſe ſupra vmbilicum introrſum magis complanatur & acuminatur. Quum & hoc diſcrimen non diſtincte ſit

l) In foeminis, quae ſaepius iam ediderunt partum, vterus decimo menſe magis adhuc deſcendit, ſed hoc quoque in primiparis obſeruari poteſt, dum pelvis apertura ſuperior nimiam habet amplitudinem. Decem abhinc hebdomadibus foemina in noſocomio obſtetricio Wirceb. peperit; memoriae dignum erat, quod nono grauiditatis menſe vteri margo ſcrobiculum cordis non attingeret, manſit in eadem regione, in qua octauo obſeruata eſt menſe, nempe in media inter vmbilicum & ſcrobiculum cordis regione. Ad finem noni menſis & initio decimi tres vſque duos pollices deſcendit, & per quatuordecim dies vſque ad tres ſeptimanas ante partum margo vteri umbilicum fere adaequauit. Huius mutationis inſolitae cauſa erat, amplitudo peluis aperturae ſuperioris nimia, quo factum eſt, vt caput cum vtero intra peluim magis abſconditum ſit; vteri aſcenſio nono igitur menſe fieri non potuit. Ideoque cauendum eſt, ne in hoc caſu nonus menſis cum decimo iamque confundatur, & tempus partus inſtantis maturius conſtituatur. Fateor, me ratione temporis partus inſtantis in hac foemina errorem commiſiſſe, & (quis non errauit?) ſeptemdecim dies ſerius peperit, quam credidi. Sed eo facilius in errorem incidere potui, quum grauida nec conceptionis, nec ceſſationis menſium, nec motus infantis certum tempus conſtituere potuerit, ex quibus, certius diiudicandi, mihi forſan facultas data fuiſſet.

ſit obſeruandum, ex aliis ſignis, mutationibus & diiudicatione temporis conceptionis, ceſſationis menſium & motus infantis certitudinem quandam ſumere debemus.

§. XXVII.

Notandum vero eſt, quod hae mutationes ventris ab incremento vteri natae non ſemper hac ratione deſcriptae in quauis obſeruentur grauida; variae circumſtantiae, e. gr. ſitus infantis praeternaturalis, praecipue transuerſus, gemelli, nimia liquoris amnii copia, circumuolutiones funiculi vmbilicalis, peluis anguſtia vel amplitudo nimia, vel mala eius conformatio, togarum & ſtrophiorum preſſio, aliaeque cauſae tam varias reddere poſſunt exceptiones, vt difficile ſaepius fuerit, partus inſtantis terminum iuſte diiudicare, quum & mutationes ventris rite (§. 26.) obſeruanti partus inſtantis terminum cum certitudine praeſagire, operae facile ſit.

§. XXVIII.

Licet ventris eleuatio ab vteri incremento nata cum grauiditate coniuncta ſit, non ſemper tamen a ventris intumeſcentia ad grauiditatem valet concluſio, ideoque exinde incerta ſtatuenda eſt grauiditatis diagnoſis. Negari non poteſt, ventris intumeſcentiam omnium grauiditatis ſignorum illud eſſe, quod ad errores committendos facillimam & frequentiſſimam praebet occaſionem. Quae ex falſa coecaque illius diagnoſi iam exoriebantur mala, experientia ſatis ſatisque docuit. Obſtetrices improuidae & artis explo-

explorandae non ſatis peritae ſaepius in hunc incidunt errorem, quum ex intumeſcentia ventris ſolummodo grauiditatem imprudenter praeſagire audeant. Haud ita multo poſt foemina quaedam ab obſtetrice, quae per tredecim iamque annos exercuit artem obſtetriciam, grauida putata eſt; foemina dubia adhuc explorationem a me petiit, ſed haud vllum grauiditatis ſignum inveni, fluctuatio in abdomine manibus meis explorantibus diſtincte percepta, œdema pedum & reliquus corporis habitus hydropem maxima cum certitudine indicarunt. Mihi obſtetricem interroganti, an quoque collum & orificium vteri exploraſſet, ſe orificium vteri non inueniſſe, grauiditatis ſignum ſolummodo ex ventris eleuatione ſumſiſſe, reſpondit. Obſtetrix tanta ignorantia mihi videbatur inſtructa, vt fallacia omnino omiſſa contenderem, hanc per tredecim annos nunquam inueniſſe orificium vteri.

§. XXIX.

Errores ratione diagnoſis grauiditatis committi poſſunt, quum intumeſcentia ventris ex aliis quoque cauſis oboriri poſſit. Sunt morbi, qui ventris expanſione grauiditatis ſpeciem praebent; medicus & matres eo facilius ad fallaciam duci poſſunt, dum eos alia adhuc ſymptomata, quae grauiditatis tempore animaduertuntur, concomitantur. Intumeſcentia abdominis enim a tympanitide, aſcite, hydrope ouarii, m) hydrometra, hydatidibus,

m) Conf. ill. Starr obſeruationem memoratu digniſſimam loc. cit. lege praeſertim ſectionis hiſtoriam pag. 32 & ſeq.

bus, obſtructionibus menſium, a ſanguinis in vtero coagulo, a molis, polypis, *n*) ſcirrho aliisque vteri morbis originem ducere poteſt. Sunt quidam, a quibus requiſita neceſſaria circa medium geſtationis tempus obſeruanda conſtituuntur, ſi ventris intumeſcentia foetum in vtero haerentem cauſam habeat. *o*)

1) Intumeſcentia, dicunt, in grauiditate vera ſine cauſa manifeſta ſanitatem laedente praegreſſa oritur.

2) Magis circa vmbilicum obſeruatur, imprimis ſi mulier grauida ieiuna ſupina iacet, cruribus verſus abdomen tractis.

3) Coniuncta eſt cum prominentia vmbilici ſatis notabili vltra ſuperficiem abdominis.

4) Eſt dura, tenſa plus minusue acuminata.

5) Suc-

n) Quam facile polypi vteri cum grauiditate vera confundi poſſint, ex illis quoque apparet, quae ill. STARK ſcribit: „Ehe (bey wirklichem Daſeyn der Polypen in der Gebärmutter) in die Sinne fallende Veränderungen und Zeichen erſcheinen, gehet es wie mit der Schwangerſchaft, d. h. man iſt ſehr ungewiſs und zweifelhaft. Ja ſie haben auch groſse Aehnlichkeit unter einander, wenn man nicht voraus ſetzen kann, daſs es Perſonen betrifft, welche über die Zeit hinaus ſind, wo ein Frauenzimmer noch empfangen kann. Denn der Reitz erregt oft Ueblichkeit, Brechen, Ziehen in Lenden und Kreuz, und wenn er in der Gebärmutterhöhle noch ſitzt, hinter der Schaamgegend einen aufgetriebenen Leib mit Stechen und Reitz in den Brüſten, u. ſ. w.

o) I. C. HARRES praeſ. KALTSCHMIDT Diſſ. de ſignis grauiditatis certis. Jenae. 1752. 4. S. 7. §. 12.

5) Succeſſiue increſcit, ſemper tamen aequabiliter, & non eſt coniuncta cum partium ſuperiorum corporis emaciatione.

6) Cum mollitie hypochondriorum obſeruatur.

7) Sine dolore eſt manifeſto.

8) Nulla ſentitur fluctuatio, ſi abdomen concutitur, nullusque, ſi digitis percutitur, oritur ſonus.

Conſequenter, aiunt, haec intumeſcentia ab ea, quae aliis contingit cauſis, potiſſimum ſeſe diſtinguit, partim

α) Ratione figurae, partim

β) Ratione incrementi, partim

γ) Ratione aequabilitatis, partim

δ) Ratione aliarum circumſtantiarum, v. gr. doloris, contabeſcentiae partium ſuperiorum.

§. XXX.

Ex his antea dictis, aiunt illi, cognoſcimus, quo modo intumeſcentia abdominis a grauiditate vera nata a falſa ſit diſcernenda. Sed experientia docet, quod & haec requiſita medicum fallere, & veram grauiditatem dubiam & incertam reddere poſſint.

Intumeſcentia abdominis in muliere quoque adeſſe poteſt, quin cauſam manifeſtam, qua ſanitas adficitur, obſeruare nobis contingat. Nonne intumeſcentia ventris ab vteri polypis ſeu hydrope ſeu alio in vtero tumore animaduertitur, quin ſanitas cauſa

cauſa manifeſta praegreſſa laedatur? Nonne adeo ſymptomatibus morboſis abſentibus interdum grauiditatis ſuſpicio augeri poteſt? Incertum quoque requiſitum eſt intumeſcentia ventris dura, tenſa, plus minusue acuminata & magis circa vmbilicum obſeruanda & cum vmbilici prominentia *p*) coniuncta; in nonnullis enim morbis ſupra relatis, qui eleuationem ventris comitem habent, haecce quoque animaduertuntur requiſita. *q*)

Errare quoque illi poſſunt, qui ex ventris intumeſcentia paulatim increſcente & ſine dolore manifeſto grauiditatem cum certitudine praeſagire poſſe putant. Dicunt v. gr. quod eleuatio ventris a menſium ſuppreſſione nata citius, a grauiditate autem orta tardius quodammodo ac laeuioribus doloribus ſtipata ſeſe exſerat. *r*) Aſt enim vero, quando variam vteri ſtructuram & vaſorum in eo directionem, nec non ſanguinis craſin, quae diuerſa in diuerſis foeminis eſſe ſolet, perpendimus, tunc ventrem quoque tardius eleuari, ac praeterea dolores coniunctos pro maiore, vel minore corporis ſenſibilitate, vel maiores vel minores eſſe poſſe, ſtatuimus. Probabilius vero redditur phaeno-

p) De prominentia vmbilici infra ſpeciatim adhuc ſermo erit.

q) Duabus abhinc circiter menſibus praeterlapſis hydropicam explorare mihi contigit; abdomen ratione figurae externae & tactus tantam ſimilitudinem cum ventre ab vtero grauido extenſo praebuit, vt facile grauiditatem ſuſpicari potueris.

r) Rockstroh in diſſert. citat. p. 16.

phaenomenon ex ſubſtantiis variis iſtis carnoſis, polypis praecipue in hoc loco ſaepe reperiundis; licet aduerſarii quoque obiiciant, aientes, ex velociori harum partium incremento, ac deficiente motu diſtinguendas a foetu has ſubſtantias eſſe; tamen, ſi ad varias in corpore diſpoſitiones, vtpote vires lanquidas, humores ſpiſſos, nec ſatis meabiles, atque ad alios tumores ex carne, ſeu alia maſſa in aliis partibus ab vtero remotioribus, per menſes imo annos enatos, reſpicimus, tum clarum & perſpectum erit, perquam facile fieri poſſe, vt etiam in vtero eiusmodi effectus ſenſim, paulatimque producatur, qua quidem in re etiam quodammodo DELEVRYE *s*) conſentit, dum ſcribit, non raro, partibus in vtero carnoſis generatis accidere, vt paulatim ſupra oſſa pubis iſtae excreſcant; ac omnia praeterea eadem fere habeant ſigna grauiditatis. *t*)

Nec minus omni ex parte nobis ſatisfaciunt, quum contendant, in grauiditate vera nullam percipiendam eſſe ſluctuationem. In vtero polypis ſeu aliis excreſcentiis extenſo nulla quoque ſentitur fluctuatio, & tamen eleuatio abdominis hoc in caſu obſeruanda ad grauiditatis ſuſpicionem ducere poteſt. Porro in nonnullis ſupra enarratis morbis ac primum quidem in hydrope vteri videmus, quod & propter huius viſceris craſſitiem & ob alias partes ibi circumiacentes aquarum fluctua-

s) DELEVRYE's Abhandl. über die Geburten, a. d. Franzöſ. überſetzt von D. FLEMMING. Leipz. 1774.

t) Confer. illa, quae ill. STARK ſcribit loc. vlt. cit.

fluctuatio non poſſit percipi; prout in aſcite fluctuationem manibus exploranti bus abdomini impoſitis diſtincte percipere, non raro quoque res difficillima eſt. Medicus igitur non certum habere poteſt, num a foetu, aut aqua ventris intumeſcentia orta ſit. Quibus ex dictis igitur apparet, quod intumeſcentia abdominis non certam ſemper nobis praebere poſſit diagnoſin.

β. Durities diſtincta & finibus incluſa, quae manibus explorantibus vterum extenſum indicat.

§. XXXI.

Durities diſtincta & finibus incluſa incertum & dubium quoque grauiditatis verae ſignum. Durities enim diſtincta & finibus incluſa percipi poteſt, quum vteri extenſio ab aquis, polypis aliisque excreſcentiis carnoſis originem ducat, ſeu quum abdominis cauitati tumor inhaereat, qui vteri a grauiditate extenſi ſpeciem praebet. *u)*

γ. *Vmbilici prominentia.*

§. XXXII.

Incertius adhuc verae grauiditatis ſignum ab umbilici prominentia deſumitur, quum vmbilici prominentia in quauis fere ventris extenſione nimia & aliis quoque morbis & vitiis animad-

u) Recordor, me Goettingae in foemina quadam eiusmodi tumorem in abdomine oblique ſitum vidiſſe, qui vteri grauidi oblique ſiti ſimilitudinem fere eandem oſtendebat.

maduerti poſſit, v. gr. in hydrope, aſcite, omphalocele, phiſconia, in vmbilici vitioſa conformatione. Falli quoque potes, ſi ex vmbilici mutationibus certum ſemper grauiditatis terminum conſtitueris. Vmbilicus medio quidem grauiditatis tempore praeterlapſo protenſo cauo complanatur, & ex rotundo oblongus fit. Septimo menſe planus euadit; octauo ſuperne protruditur, nono menſe infra quoque, decimo tandem menſe piſi inſtar prominet. Quae vero mutationes non ſemper in grauiditate hunc menſium ordinem ſequuntur deſcriptum; in vteri obliquitate vmbilicus ſerius prominet, in gemellis, nimia liquoris amnii copia, &, vbi vterus maturius peruenit ad maiorem altitudinem, vmbilicus quoque maturius protruditur; in multiparis facilius ac menſe ferme prius protruditur; quo plures enim foemina partus ediderit, eo minus in hoc caſu vmbilico ac ſigno vti poſſumus; in nimia peluis amplitudine, hic enim vterus admodum profunde delabitur, ac ſaepius ad grauiditatis finem vix vmbilicum attingit, qui plane non valde prominens deprehenditur. *v*)

δ) *Foetus in vtero haerentis motus.*

§. XXXIII.

Memoriae autem digniſſimum eſt ſignum, quod a foetus in vtero haerentis motu deſumitur. A quibusdam ad certiſſima refertur

v) E. G. Brenner Diſſert. de fallacia ſignorum in grauiditate. Marburgi Cattorum. 1790. 8. p. 43.

fertur grauiditatis ſigna. Percipitur plerumque hic motus circiter medium grauiditatis terminum ſiue circiter XIX — XX, vel XXI. ſeptimanam. Quum enim primis grauiditatis menſibus foetus multa liquoris amnii copia comprehendatur, eiusdem cum hoc liquore grauiditatis ſpecificae, atque mollibus membris inſtructus ſit, vel nullum, ſaltem non adeo perſpectibilem edit motum. Senſim vero grauior, robuſtior a parciore liquore comprehenſus artubus ſuis ad domicilii ſui parietes allidens motum matri perceptibilem reddit.

§. XXXIV.

Deſcribitur hic motus a quibusdam hac ratione: *x*)

1) Grauida talem ſentit motum, qualis eſt is, qui percipitur, quando aliquis dolio cuidam incluſus ſuis digitis parietes dolii pertundit. Mulieres aliae dicunt, huius motus ſenſum ſenſui piſcis ſeu muris concrepantis ſimilem eſſe. *y*)

2) Motus a foetu, dicunt, eſt lenis, mox ceſſans, denuo tamen repetens.

3) Motus a foetu non eſt cum dolore coniunctus.

Motus

x) Harres in Diſſert. citat. §. XVI.

y) Interdum neceſſe eſt, vt medicus explorationem inſtituens hisce vtatur loquendi formulis, in foeminis praecipue, quae grauiditatem celant, & in iis, quae abortiua petunt.

Motus ratione ſenſus in aliis maior, in aliis minor eſſe poteſt. Cauſa huius motus diuerſitatis partim in grauida ipſa, partim in foetu & aquis, quae foetum circumdant, quaerenda eſt. Sic a grauidis, quae ſubtiliore corporis ſtructura & maiore ſenſibilitate, quae cute tenui fibrisque teneris praeditae ſunt, motus infantis percipitur vehementior, quam a grauidis, quae corpore robuſto, cute dura, fibris rigidis minoreque ſenſibilitate gaudent.

§. XXXV.

Ex quibus omnibus patet, quam neceſſaria ſit huius motus cognitio medicis ac obſtetricibus ratione grauiditatis diagnoſis. Accidit enim non raro, vt mulieres grauiditatem celent, in quo caſu iudices medicorum ſaepius vel obſtetricum iudicia exſpectant, num eiusmodi mulieres reuera grauidae, nec ne. Hinc, vt certi quidpiam poſſint conſtituere ratione diagnoſis grauiditatis, ob quam tales foeminae ſunt ſuſpectae, caueant, ne incaute ac imprudenter ab iis inſtituatur ventris exploratio, nec ex abſentia motus infantis grauiditas ſemper negari, nec ex perceptione eiusmodi motus certa ſemper grauiditatis diagnoſis conſtitui poteſt, vt ex ſequentibus apparebit.

§ XXXVI.

Saepe fit, vt motus illi ab aliis quoque cauſis in corpore producantur, v. gr. ab aere, flatibus &c. Obſeruari quoque poſſunt in hydrope cum tumore meſenterii, vel ouarii coniuncto;

motus

motus quoque a ſpaſmis ventris oriri poſſunt, v. gr. mulieres hyſtericae tales percipiunt motus, qui facile ad errorem ducere poſſunt. Sed ſi vera grauiditas ſubeſt, quae a medico pro morbo habetur, ac praeterea peruerſis adhibitis quibusdam tractatur remediis, tunc facile famam ſuam, atque eorum, qui conſilium petierunt, honeſtatem fiduciamque amittere, & facile quoque infelicem reddere foeminam, vel aliquando in ſummum ruere poteſt vitae periculum; haud raro enim ex diuerſorum medicamentorum vſu intempeſtiuo, vel ignorantia, ſeu admiſſis illis medicorum erroribus adhibitorum grauiſſima & periculoſiſſima mala hisce puellis inducta fuere.

§. XXXVII.

Caueat quoque medicus, ne foeminis grauiditatem fingentibus fidem tribuat, quum ſeſe infantis motum ſentire ſimulent. Si hoc in caſu a iudice medici vel obſtetricis deſideratur ſententia, neceſſe eſt, vt certe quoque ab iis percipiatur infantis motus. Inde ſequenti modo eſt procedendum: Iaceat foemina ieiuna, poſtquam antea ſeſe ab vrina atque faecibus aluinis liberauit, ſupina, imponat medicus vel obſtetrix denudato huius mulieris abdomini manum extenſam ea ratione, vt pollex manus vmbilicum, digitus vero auricularis ſynchondroſin oſſium pubis contingat; iubeat dein, vt mulier inſpiret, ac rurſus exſpiret, hinc quando exſpirat, premat abdomen introrſum, tunc perſentiſcet non ſolum duritiem quandam rotundam, ſed & ſimul foetus motum,

qui

qui erit eo manifeſtior, quo frigidior manus extenſa impoſita fuit, quo plures menſes grauiditatis fuere emenſi, quo robuſtior foetus, & quo minor copia aquarum, a quibus circumdatur. *z*)

§. XXXVIII.

Caueat quoque medicus, ne ex motus abſentia cum certitudine quadam concludat, nullam adeſſe grauiditatem. Saepius enim fit, vt motus ob nimiam liquoris amnii copiam, vel ob foetus teneritatem vel debilitatem vel mulieris ſenſibilitatem & attentionem minorem non percipiatur. Inde quoque dubium eſſe poteſt, ex primo infantis motu certum grauiditatis terminum conſtituere, quum aliae maturius, aliae ſerius, praeſertim primiparae, *a*) illum perſentiſcant. Ex calculo iſto incerto ſaepius partus ſic dicti oriuntur ſerotini, qui reuera nulli ſunt.

5) *SIGNA*

z) Ill. Wrisberg felici non nunquam ſucceſſu in determinanda vel praeſente vel abſente grauiditate alia vſus eſt encheireſi: „Genas nempe „& totam faciem nudo abdomini applicauit; quum enim exquiſitius „tunc ſentiret, faciliori opera minimas embryonis reſiſtentias mo- „tumque diiudicare potuit.“ Vid. Roederer libr. laud. not. 63. Ne pudicitia ac honeſtas muliebris laedatur, haec procedendi ratio non eſt adhibenda; ſed in caſu forenſi non negligendam eſſe, puto, quum prior encheireſis non ſufficiat, vt medicus certam grauiditatis diagnoſin ex motu conſtituere poſſit.

a) Grauida in noſocomium obſtetricium Wirc. hac aeſtate recepta infantis motum menſe octauo finito prima percipiebat vice.

5) *SIGNA EX MAMMIS MVTATIS.*

§. XXXIX.

Alia grauiditatis ſigna ex mammarum mutationibus deſumuntur. *b*) Mirum vteri & mammarum commercium eſt. Namque poſt ceſſationem menſtruorum mammae ad futuram foetus nutritionem praeparantur, notabile ſcilicet capiunt incrementum, dum ſimul eleuantur, & earundem venae colore caeruleo conſpicuae magis efferuntur. Papilla turgens adſpectu quaſi inflammata craſſeſcit, colore naturali (ex albido rubello) obſcuriore diſtincta *c*) & diſcus papillam ambiens in latiorem expanſus peripheriam ſimili colore notatur, paruis eminentiis, quaſi totidem papillulis, tegitur.

§. XL.

Eodem tempore aliis mammae dolent, aliis papillarum fiſſurae cum acerbiſſimis doloribus ſubinde contingunt: plerumque vero omnibus grauidis, termino quodam incerto, vt plurimum circa medium grauiditatis tempus, quin ſerius, humor quidam tenuis

b) Ill. Stein in comment. laud. §. 38. Ill. Osiander's Lehrbuch der Hebammenkunſt. p. 241. Eiusdem: Reſultate von Beobachtungen an den Brüſten während der Schwangerſchaft. In den Denkwürdigkeiten. Bnd. II. St. 2. Nro. VII.

c) Der roſenrothe Hof bey Blonden wird dunkelroth, oder auch blaſs. Der rothe Hof der Brunetten wird ſchmutzigroth, braun, gefleckt, oder auch ſo dunkelbraun, wie ihre Haare. Ill. Osiander's Lehrbuch der Hebammenk. pag. cit.

nuis mammis exprimi poteſt; vbi notandum, primiparas huius liquoris parciorem fundere quantitatem, in foeminis vero iam aliquoties partum expertis lympham copioſiorem profluere. Lympha illa ſtriis lacteis quaſi totidem vermiculis diſtincta vltimis praecipue menſibus vberiore copia ſecernitur, aucta adeo vero verſus finem geſtationis, vt vel ſponte in nonnullis effluat. Verum enim lac neque in virgine neque in foemina nupta hoc tempore obſeruatur, ſed demum abſoluto partu, ſuperueniente ſic dicta febre lactea.

§. XLI.

Sed ex hisce mammarum mutationibus certam ſemper conſtituere grauiditatis diagnoſin, ad errorem ducere poſſet. Haecce enim phaenomena neque ſemper deperditae virginitatis neque grauiditatis verae nobis indicium praebent. Menſium ſuppreſſio, vteri hydrops, molae, vteri polypi variaeque eius excreſcentiae latentes ſaepius hasce mammarum mutationes comites habent. *d)* Multa

d) De la Motte Traité complet des acouchemens naturels, non naturels, & contre nature. Lib. I. p. 54. Obſeru. XXXV. à Leiden. 1729. 4. Schvrigii Parthenologia hiſtorico-medica. §. 35. p. 183. Dresdae & Lipſiae. 1729: enarrant exempla de foeminis non grauidis, quae a menſium fluxu retento mammas permagnas & tumidas habuerunt. Bovrton (Syſtème nouveau & complet de l'art des accouchements tant theorique, que pratique, traduit de l'Anglois par Mr. le Moine, à Paris, 1771. Obſeru. I. p. 16.) refert de exemplo in foemina obſeruato, cuius mammae permagnae, lacteque refertae erant, ac quae gra-

Multa exſtant exempla, de quibus autores mentionem faciunt, quod in caſtiſſimis quoque puellis, imo maribus & infantibus, lac saepius prouenire viderint. *e)* Animaduertimus quoque, quod a diſpoſitione naturali in ſanis caeteroquin puellis praecipue circa tempus pubertatis, ſi ſufficientem ſanguinis copiam habent, & glandulae ſanguinem alterantes robore haud deſtituuntur, luxurient adeo, vt grauidarum vberibus earundem mammae ſimiles ſint, vel iſtas etiam ſuperent, ita, vt conſequi videatur, ac indubitata ponenda res ſit, tum in virginibus, tum in maritatis hoc ſignum fallere poſſe.

Demum haud praetereundum eſſe puto, quod mammae interdum vix vllam in grauiditate ſubeant mutationem. Grauidae ad noſocomium obſtetricium Wirc. receptae mammas nec incrementi, nec diſci coloris, nec papillarum prominentiae ratione mutatas inueni, nec grauida mutationes quasdam antea animaduertit: mammae poſt partum demum, accedente febre ſic dicta lactea, colore diſci obſcuriore reddito, paululum tantum maximis doloribus intumeſcentes lac ediderunt; eadem erat puella, cuius menſes per annum dimidium iam ante conceptionem erant ſuppreſſi, &

grauiditatis ſuſpicionem prodidit; ſed nulla aderat grauiditas, tumor ingentis magnitudinis in regione oſſis ſacri haud procul ab vteri orificio ſedem habuit.

e) In var. Volum. Ephem. Nat. Cur. Schacher Diſſ. de lacte virorum & virginum. Venette de la generation de l'homme. P. II. p. 91. De la Corde, ergo virgo menſtruis deficientibus lac in mammis habere poteſt. Paris. 1780.

& quae grauiditatis tempore haemopthyſi afficiebatur. *f*) Quod exemplum hic enarratum notatu dignum eſſe mihi videtur,

a) quum De la Motte, Schvrigivs atque alii obſeruatores a menſium fluxu retento in puellis quibusdam non praegnantibus mammas permagnas, tumidas doloribusque affectas viderint;

b) quod in hac grauida nec ex mammarum, nec ex menſium mutationibus grauiditatis ſigna fuerint deſumenda.

Quod mammae in hac grauida non fuerint mutatae, magis forſan adhuc mirandum eſt, quum tamen grauiditatis tempore praeſertim maximas congeſtiones verſus pulmones parteſque ſuperiores haberet. Sanguine ad pulmones, cor aliaque thoracis viſcera magis congeſto, minor ſanguinis copia ad partes thoracis externas mammasque duci potuit; vnde hoc phaenomenon, quod mammae in hoc caſu non obnoxiae fuerint mutationi, explicandum eſſe puto. Ex quibus igitur dictis apparet, interdum accidere poſſe, vt medicus obſtetricius ex mammis interdum haud vlla capere queat grauiditatis criteria, dum illae non ſubeunt mutationes.

6) *SIGNA*

f) Vide pag. 19. not. y) & pag. 36. not. k) Alia adhuc tam memoriae digna in hac puella, partim grauiditatis, partim partus tempore obſeruare, mihi contigit, vt de his in poſterum alia occaſione data fuſius ac ſpeciatim agere, haud incongruum eſſe mihi videatur.

6) *SIGNA EX GENITALIBVS MVTATIS.*

§. XLII.

Deſumuntur

a) *ex genitalibus externis.*

Praetereo omnino ſigna, quae ex genitalibus externis nobis obueniunt; ſunt enim tam dubia, vt vix certi aliquid ex iſtis conſtitui poſſit. Quae obſeruantur quoque mutationes, magis circa vltimum grauiditatis apparent terminum, quo ex aliis iamque phaenomenis maioris momenti grauiditatis praeſentiam maturius cognitam habere poſſumus.

b) *ex genitalibus internis.*

Certior quidem grauiditatis diagnoſis ex genitalium internarum mutationibus ſtatuitur. Dum ex iis deſumuntur grauiditatis notae, praeſertim *vteri incrementi*, *ceruicis*, *orificii* atque *ſegmenti inferioris vteri* mutationum ratio eſt habenda.

α) *Signa ex vteri incremento.*

Primis circiter tribus menſibus vterus magis intra peluim ita abſconditur, vt abdomen complanetur. Quapropter vteri ceruix magis in vaginam detruditur, ita quidem, vt os eius orificio vaginae propius deprehendi poſſit. Quae vero mutatio incertam praebere poteſt grauiditatis diagnoſin. Quum ex altitudine orificii vterini cum certitudine diiudicare velimus, neceſſe eſt, vt eius altitudo ante grauiditatem nobis cognita ſit; quum aberrationes

variae

variae, vagina longior breuiorque, quaedam praeternaturalia hoc noſtrum iudicium multum variare poſſint. g) Vteri deſcenſionem vitioſam obſeruare licet, in laxitate nimia ligamentorum latorum & rotundorum, in morbis cachecticis, laxitatem fibrarum inducentibus, hydrope & flatulenta inteſtinorum diſtenſione pondere ſuo vterum deprimentibus, in ſcirrho vteri, h) vaginae atque vteri prolapſu orificium vteri ſecum trahente &c. Circa menſtruationis periodum vterus magis deſcendit, vt & in illis, quae libidine ductae frequentius viri conſuetudine vſae ſunt. Caute igitur & prudenter medicus *ex vteri deſcenſione* ſignum deſumat.

§. XLIII.

Quo magis dein ouulum creſcit, eo magis vteri expanſio ita augetur, vt peluis cauitas illum continere non amplius poſſit. Circa tertii menſis medium paulatim ad ſuperiora aſcendit, & ſupra peluis aperturam ſuperiorem, axin fere peluis ſequens locum tenet,

g) Optime Ill. Wrisberg dicit in not. 61. ad §. 149. Cel. Roedererі Elem. art. obſtetr. „hac in re procedendum eſt prouti in pulſu; „non poſſumus omnium hominum pulſum naturalem ante inuadentem morbum explorare, media itaque proportione contenti eſſe „debemus."

h) Diſſert. medic. de ſignis cancri vteri obſeruationibus illuſtratis (amici aeſtimatiſſimi) H. Chr. Fried. Krauel. Ienae. 1796. 4. „In primo „(cancri vteri) ſtadio vterus ſuum locum, quem in ſano ſtatu „haudque grauido occupat, derelinquit, atque paulatim deſcendit, „ita, vt ſtatim, quum vaginam digitus intret, detegere poteris portionem vaginalem."

tenet, & ſecum in alta trahit orificium, vt ſucceſſiue altius haereat, atque tandem ſub finem grauiditatis, antequam venter ſubſideat, vix digitus explorans illud contingat. Obliquus vaginae ab externo ſinu ad vterum tractus efficit, vt poſterius, dum aſcendit, orificium appareat, & obliquitatem ad os ſacrum mentiatur. Ipſe autem vteri tumor verſus vmbilicum ſenſim eleuatur. Hic autem aſcenſus vteri non in omnibus grauidis eundem ſequitur ordinem, nec in omnibus orificium in eundem altiſſimum abripitur locum, nempe in regionem promontorii, in qua cum ſumma ſaepius difficultate percipitur. Variae circumſtantiae §. 27. enarratae exceptionem facere poſſunt, ad quas nimia peluis amplitudo, ſitus infantis praternaturalis &c. referri merentur, prout & in mulieribus, quae ſaepius iamiam partum ediderunt, orificii aſcenſus minor eſt. Cauendum igitur, ne ratione grauiditatis termini ad fallaciam ducamur.

Priusquam diſquiſitionem inſtituam, an ex corporis vteri extenſione certa ſemper ſtatuenda ſit grauiditatis diagnoſis, nec ne, de mutationibus ceruicis & orificii vteri quaedam adhuc praemittenda eſſe puto.

β. Signa ex orificii vterini eiusdemque labiorum mutationibus.

§. XLIV.

Non praetereunda eſt mutatio *orificii vterini eiusdemque labiorum* memoriae digniſſima. Orificii ſcilicet vterini rima, quae labia orificii vterini interiacet, transuerſalis formam induit rotun-

dam & circularem. Ex qua orificii vterini mutatione non ſolum tertio menſe finito, ſed iam ante ipſum tertium menſem, vnicum atque certum grauiditatis ſignum deſumit Ill. Stein, *i*) quem & alii ſunt ſecuti.

Aſt clariſſ. Loder *k*) (Praeceptor plurimum venerandus) oſtendit, quod huic ſigno non ſemper fides ſit tribuenda. Celeberrimo Loder contigit, in ipſa cadauerum diſſectione obſeruare aperturam illam orificii vterini circularem in vteris non grauidis, imo & in virgineis, quorum vagina hymene occluſa erat, cuius rei teſtimonia inter praeparata Ill. Viri anatomica exſtant. *l*) Meminit quoque ſe vidiſſe, quum Londini eſſet, in egregio theſauro anatomico Cel. Lowder vterum nullo vitio laborantem puellae decem circiter annorum, cuius orificii apertura plane circularis erat. Dilectiſſimus frater & Praeceptor aeſtimatiſſimus Christophorus Siebold (qui vero, proh dolor! morte iuſto maturiore mihi ereptus

i) Confer Cel. Stein's theoret. Anleit. zur Geburtshülfe. ed. 5. §. 178. „Mutatio, ait, rimae transuerſalis orificii vterini in formam circu„larem omnium fere grauiditatis ſignorum certiſſimum eſt, & ma„ture iam obſeruatur. Et hoc non in prima ſolum adeſt, ſed in „iterata quoque grauiditate, paulo tamen ſerius & minus perfecta „animaduertitur.“

k) Clar. Loder Programma, quo probatur ex anatomicis obſeruationibus, circularem aperturae orificii vterini formam certum ineuntis grauiditatis ſignum non eſſe. Jenae. 1785. 4.

l) Contigit mihi, cum Ienae eſſem, haec praeparata notatu digniſſima in praelectionibus clariſſ. Loderi videre.

ereptus eſt) inter praeparata anatomica duos aſſeruauit vteros virgineos, *m*) quorum apertura orificii vterini circularis erat. Demum quoque animaduertendum eſt, quod haec circularis orificii vterini forma in foeminis circa periodum menſtruationis inſtantem, & in hyſtericis *n*) quoque obſeruari poſſit. *o*) Ex hisce obſeruationibus certiſſimis igitur apparet, quod

m) Haec vt & caetera fratris mei defuncti praeparata anatomica nunc in muſaeo anatomico Wirceburgenſi aſſeruantur.

n) Quum Ienae ſtudiis medicis operam dederim, foeminas duas, quae hyſteria laborabant, explorandi mihi data erat occaſio, in quibus orificii vterini formam inueni circularem. Altera earum circiter viginti annos nata hyſteria fluore albo concomitata laborauit; genitalia in ſtatu virginitatis non erant, labia pudendorum maiora nimis laxa, hymen nullus, vagina valde ampla, orificii vteri forma circularis. Caeterum grauida non erat; per quatuor fere menſes curae meae traditam obſeruanti nulla obuenerunt grauiditatis indicia. — Altera 36 annos nata, quae hyſteria & diarrhoea chronica habituali in ſummo gradu erat affecta, genitalibus virgineis adhuc erat ornata, vt mihi praecipue ex hymenis integri praeſentia apparuit. Ratio quidem, ex qua in hac explorationem inſtitui, erat ſuſpicio ſcirrhi vteri, quam mammae tumeſcentes nodisque dolorificis inſtructae & dolor circa regionem pubis commouerunt. Portionem vaginalem tumeſcentem & dolorificam inueni, orificium vteri rotundam praebuit formam. Portio vaginalis tumeſcens & dolorifica ad ſigna ineuntis ſcirrhi vteri referri ſolet, ſed quod rima transuerſalis orificii vterini in ſcirrho ſemper rotundam induat formam, experientia edoctus confirmare non poſſum.

o) Non incongruum mihi videtur haec quoque afferre, quae Illuſtr. Osiander de hoc ſigno ſcribit. „Die runde Beſchaffenheit des „Mutter-

quod ex orificii vterini apertura circulari non ſemper certa ineuntis grauiditatis diagnoſis conſtitui debeat, quod hoc indicium iam ante conceptionem adfuiſſe facile potuit. Quod enim ſignum potius illis eſt adnumerandum, ex quibus certi aliquid praedici nequit, niſi ante conceptionem orificii vteri ſtatus nobis cognitus fuerit. Qua igitur ratione de hoc ſigno eadem valent, quae de vteri in vaginam deſcenſu ſunt relata. In foeminis, quae iam ſaepius partum ediderunt, grauiditatis tempore orificii vteri figura non aequalis rotunda, ſed magis inaequalis, dilacerata noduliſque inſtructa inuenitur, & maturius aperitur, ita quidem, vt per omnem fere geſtationem ſaepius apertum ſit orificium vteri.

§. XLV.

„Muttermundes iſt endlich auch noch eines von den weniger ungewiſſen Zeichen. Es würde eines von den gewiſſeſten Zeichen „ſeyn, wenn man vor der Schwangerſchaft mit der Beſchaffenheit „des Muttermundes einer Perſon ſchon durch die Unterſuchung bekannt wäre. Allein es gibt Frauenzimmer, bey denen der Mutter„mund ohne Schwangerſchaft, faſt immer rundlich, wenigſtens ſo „beſchaffen iſt, daſs man durch die Unterſuchung nicht wohl unter„ſcheiden kann, ob er rund oder länglicht iſt. Dieſs ſind meiſt zu „Krämpfen, zum Mutterweh geneigte Perſonen und ſolche, denen es „der Geſundheit halber gut geweſen wäre, wenn ſie ſich eher ver„heirathet hätten, und denen das Monathliche unordentlich und nur „mit Schmerzen flieſst. Bey andern ſonſt geſunden Frauensperſonen „verliert der Muttermund vor jedem Erſcheinen des Monathlichen „ſeine länglichte Form, ſo daſs man alsdann leicht eine Perſon der „rundlichen Muttermunds-Form nach für ſchwanger halten könnte.“ Vide eiusdem Hebammenbuch §. 274. n. 6.

§. XLV.

Nec praetereunda eſt *vteri labiorum* mutatio circa tertium quoque menſem obſeruanda, ex quo & Cel. STEIN *p*) ineuntis grauiditatis ſignum deſumit. Labium nempe anterius breuius & labium poſterius longius euadit. *q*) Sed ex hac mutatione, vt Clar. Vir ipſe aſſerit, in iis ſolummodo, quae prima vice grauidae ſunt, grauiditatis non incertum ſignum deſumi poteſt; in iis vero mulieribus, quae ſaepius iamque partum ediderunt, hoc ſigno vti non ſemper nobis licet. Forſan quoque circa inſtantem fluxus menſtrui periodum haecce mutatio obſeruatur, ſeu ob vterum retrorſum oblique ſitum labium anterius breuius, & poſterius longius tantum videtur, ſeu a natura labium poſterius longius prominet anteriore. Ex quibus igitur apparet, quod ex

p) In lib. laud. p. 57. §. 177.

q) Einige, wenn ich nicht irre, auch Hr. Profeſſor OSIANDER behaupten, die Verkürzung der vordern Lippe und die Verlängerung der hintern ſey bloſs ſcheinbar. Allein, wenn man betrachtet, daſs die Gebärmutter vorn mit dem Bauchfelle, den Bauchmuskeln und allgemeinen Bedeckungen umgeben iſt, welche der in der Schwangerſchaft an Gröſse und Ausdehnung zunehmenden Gebärmutter leicht nachgeben, ſo iſt gewiſs nach vorn eine gröſsere Ausdehnung derſelben möglich, als nach hinten, wo ſie mehr das knöcherne Gebäude der Wirbelbeine und des heiligen Beins zu ihrer Anlage hat, welche ihre vollkommnere Ausdehnung nach hinten verhindern können. Die gröſsere Ausdehnung der Gebärmutter nach vorn muſs natürlich auch eine merklichere Verkürzung der vordern Lippe zur Folge haben, und dann könnte man ſich die Verkürzung der vordern Lippe und die Verlängerung der hintern erklären, ohne dieſe Veränderung bloſs ſcheinbar anzunehmen.

ex vteri orificii eiusdemque labiorum mutationibus ante quartum menſem non certa ſtatuenda ſit grauiditatis diagnoſis.

§. XLVI.

Certiora quidem ceruicis & mutati orificii vterini deſumuntur ſigna quarto & poſt quartum menſem. Maiore ſanguinis copia adfluente fibrae diducuntur, firma compages ſoluitur, fit mollior, imo, quum ſubſtantiae nihil dematur, ſed potius a contenti fluidi copia augeatur, craſſeſcit. Tunc igitur orificium vteri tangitur mollius, craſſius, quod antea durum erat, & quaſi cartilagineum vna cum ceruicis tumore. Qua ratione ad vlteriorem expanſionem ceruix praeparatur, quae praecipue verſus ſextum menſem notari meretur, quo quidem tempore ita diduci incipit, vt cum communi vteri cauitate tubi pars orificio ſuperior confundatur, ex qua mutatione etiam breuius fit vteri orificium, labia ſenſim ad aperturam exteriorem diducuntur, figura conica vel cylindrica magis deletur. Magis ſimul ad partum vſque labia emolliuntur, in ſpongioſam naturam reſoluta. Vltimis tandem ſeptimanis & verſus interiorem aperturam eadem dehiſcunt, vt rimae vel digitalis loco nunc tubus appareat, cuius ſectiones ſunt ellipticae.

Signa ex ſegmento vteri inferiore mutato.

§. XLVII.

Quoad grauiditatis diagnoſin memoriae adhuc digniſſimae ſunt mutationes ſegmenti vteri inferioris. Septimo enim menſe illa ſegmenti vteri inferioris pars, portionem vaginalem inter & oſſa pubis, magis extrorſum rotundatur pro portionis vaginalis

ab

ab oſſibus pubis receſſu. Octauo menſe demum formatur pila, nono menſe iam perfecte eſt formata, decimo menſe formam magni in pelui profunde poſiti haemiſphaerii induit. Sed notandum eſt, quod hae mutationes non ſemper hunc deſcriptum ſequantur menſium ordinem; ſtatus quidam praeternaturales, qui partim ab infantis ſitu eiusdemque partibus, a quibus circumdatur, partim a genitalibus dependent, exceptionem reddere, & facile ad errorem ducere poſſunt. Ad quos referre licet peluim anguſtam vel dimotam, *r*) partem vaginae ſuperiorem, qua tumor in ſegmento inferiore formatur, capitis ſitum transuerſum, vel ob nimiam liquoris amnii quantitatem capitis in ſegmentum inferius ſero delapſum, placentam praeuiam &c. Pilae perfecta formatio a legitimo gradatim ſubſequente capitis effectu in ſegmentum inferius dependet. Ideoque ſub initium ſeptimi menſis eoque medio caput infantis mobile digito exploratoris ita offertur, vt impulſui illud facile cedat, moxque relabatur; quod phaenomenon aſcenſus deſcenſusque alternas viciſſitudines ſeruans, luſus inſtar aliquoties iteratum ſatis iucundum eſt; aliquot vero ante partum hebdomadibus capitis delapſi notabilius pondus eſt, pone peluis aperturam ſuperiorem figitur, illam explet, neque amplius tanta mobilitate gaudet, abdomen ſubſidet, & appropinquantis partus ſigna pediſſequa inſtant.

Aſt licet mobilitas capitis optimum exhibeat ſignum, tamen experientiſſimos quoque viros ad fallaciam ducere poteſt, quum

mo-

r) D. Brenner Diſſert. citat. p. 48.

mobilitas haec ab alio corpore vel a tumore in vtero haerente dependeat, v. gr. a tumore ouarii, r) a polypis, molis, excreſcentiis vteri. Praeſertim hiſtoria ab Ill. STARK s) enarrata haec a me relata ſatis confirmat. Igitur ex optimo ſigno, ex mobilitate capitis nimirum incerta interdum ſtatuenda eſt grauiditatis verae diagnoſis.

§. XLVIII.

Ex genitalium mutationibus relatis apparet, quod, licet ex iisdem certiſſima grauiditatis ſigna deſumi poſſint, diagnoſis noſtra nihilominus incerta ac dubia interdum remanere poſſit. Ratio enim habenda eſt cauſae proximae, qua mutationes genitalium grauiditatis tempore procreantur; quarum enim cauſa proxima in vteri ſolum expanſione, partim corpore quodam in cauo eius haerente, magisque creſcente, partim ſanguinis maiore copia adfluente facta quaerenda eſt. Experientia autem docet, quod mutationes deſcriptae & plurima phaenomena genitalium non ſolum in variis grauiditatis generibus, v. gr. in grauiditate ouaria, tubaria, quae interdum quoque vteri extenſio concomitatur, obſeruari, ſed quoque in morbis vteri quibusdam, v. gr. in hydrometra, polypis, aliisque vteri tumoribus apparere poſſint. Ex quibus igitur patet, nonnunquam incertam quoque diagnoſin eſſe grauiditatis verae a genitalium mutationibus deſumtam.

r) VATER Diſſert. grauiditas apparens ex tumore ouarii dextri enormi orta &c. Witemb. 1722.

s) In loc. vlt. citat.

II. SIGNA

II. SIGNA GRAVIDITATIS GEMELLORVM.

§. XLIX.

Gemelli vocantur foetus duo vno eodemque coitu concepti, ac vno partu editi, quam definitionem plurimi agnoſcunt autores. De conceptione & cauſis gemellorum quaedam proferre praetereo; nec locus nec animus eſt diuerſas de hac re recenſere hypotheſes.

Gemellorum partum non tam raro euenire notum eſt; *u*) trimellorum partus ad rariores *v*), & quadrimellorum ad rariſſimos pertinet caſus. *x*)

§. L.

u) In quibusdam regionibus germanicis gemelliferi partus ſunt ad partus foetus vnius vt 1 : 60. Ill. Osiander Handbuch der Hebammenkunſt. S. 213.

v) Inter 1000 partus vnus vix inuenitur trium puerorum. Ill. Osiander loc. citat. Ab aliis rarior adhuc inueniebatur: inter 6500 partus vnus erat trium puerorum. Süssmilch. Gött. Ordn. Edit. II. Tom. I. p. 195.

x) Quadrimellorum partus ſunt ad partus vnici vt 1 ad 50000—100000. Ill. Osiander loc. cit. S. 214. Dem Herrn Profeſſor Osiander ſind doch in einem Zeitraume von 6 bis 8 Jahren allein in Schwaben zweimal Vierlinge, die lebendig geboren wurden, bekannt geworden. Fünflinge ſind ſo ſelten, daſs man in einem Jahrhundert kaum ein- bis zweimal davon hört. Vid. Ill. Stark Archiv 4r B. 3ts St. S. 587. Von Sechslingen thut der Hamburger Correſpondent Meldung. Jahrg. 1798. No. 42. MittwochsSt. Zu Verſchos im Departement Pas de

 Calais

§. L.

Signa grauiditatis gemellorum diuiduntur

A) in illa, quae tempore grauiditatis obſeruantur, &

B) in illa, quae in partu inſtante apparent.

A) *De ſignis grauiditatis gemellorum, quae in grauiditate obſeruantur.*

Exceptis reliquis grauiditatis ſignis praeſentibus ſequentia praecipue ſunt obſeruanda:

1) Affectiones, quae partim ab irritatione neruorum, partim a plethora, partim ex vteri expanſione & compreſſione in inteſtina, diaphragma, neruos & vaſa vteri oriuntur, vehementiores & maturiores apparent.

2) Venter in medio grauiditatis termino iamque ad eandem peruenit magnitudinem, quam alias finito tempore.

3) Infantis motus a grauida maturius, & quidem in vtroque latere ſimul & frequentius percipitur.

4) Verſus tertium vel quartum grauiditatis menſem illae, quae gemellos gerunt, pedes, femora & genitalia tumida habent ac varicoſa.

5) Li-

Calais iſt am 12ten Febr. 1798 eine Frau, Namens Duisans, mit 6 Kindern, 3 Söhnen und 3 Mädchen, niedergekommen. Was man von mehrern auf einmal gebornen Kindern erzählt und gedruckt hat, iſt nicht leicht zu glauben.

5) Lineam etiam aut ſulcum in medio abdominis illarum, quae geminos foetus geſtant, illud quaſi in duas prominentias diuidentem animaduerti ſaepius notauerunt. *y*)

6) Circa grauiditatis finem abdomen non ſubſidet, vt in grauiditate ſimplici fieri ſolet.

§. LI.

Licet haecce ſigna ſimul ſumta aliquam de foetu gemellitico ſuſpicionem praebere poſſint, ex conſenſu tamen experientiſſimorum in arte obſtetricia virorum nullam euidentem certitudinem exhibent, quum aeque apud vnicum foetum illa occurrere poſſint, nec ex his ſignis abſentibus ad geminorum abſentiam ideo concludere liceat. *z*)

Spe-

y) Prominentiam & motum in vtroque latere pater meus dilectiſſimus ad certiſſima grauiditatis gemellorum criteria refert. Debeo illi obſeruationem, de qua breuiter mentionem faciam. Militis cuiusdam vxor, corpore robuſto inſtructa, 38 annos nata, ſextum grauida, ventrem prominentia in regione hypochondriaca dextra & in latere ſiniſtro duos pollices infra vmbilicum extenſum animaduertit. Hoc caſu anxia obſtetricis cuiusdam ſententiam petiit. Abdomine ab obſtetrice explorato, prominentiam in regione hypochondriaca dextra tumorem (ein Gewächs), ſeu obſtructionem hepatis diiudicauit. Grauida quam maxime perterrita conſilium a patre meo rogauit. Pater motum diſtinctum in vtraque prominentia ſentiit, quem & grauida percepit. Abdomen non ſupra modum erat extenſum & magnum, vt in grauiditate gemellorum ſolito inuenitur. Caeterum ne minime quidem de gemellorum praeſentia dubitauit. Sex hebdomadibus praeterlapſis grauida gemellos feliciter peperit.

z) G. A. Fried Anfangsgründe der Geburtshülfe. Strasburg. 1769. §. 382.

Speciatim haec ſigna perluſtrabo.

1) Primum ſignum, quod ex affectionibus auctis deſumitur, ad incertiſſima grauiditatis gemellorum criteria referre licet. Saepius enim affectiones iſtae in grauiditate ſimplici quoque augentur, & in grauiditate gemellorum minutae apparent. Quarum affectionum magnitudo, praecipue quae in ſyſtema neruoſum agunt, a diuerſo cuiusuis foeminae irritabilitatis ac ſenſibilitatis gradu dependet. Mulieres nimia ſenſibilitate praeditae in grauiditate ſimplici magis afficiuntur, quam illae, quae minore ſenſibilitate gaudentes gemellos gerunt. Affectiones aliae auctae, quae ab expanſione & compreſſione vteri oriuntur, in grauiditate ſimplici quoque maiore gradu animaduertuntur, quum vteri expanſio nimia liquoris amnii copia ſeu foetu nimiae magnitudinis &c. augeatur. In grauiditate gemellorum quoque deeſſe poſſunt, ſi gemelli minoris magnitudinis vterum extendunt.

2) Neque etiam nimia ventris magnitudo gemellos ſemper deſignat. In foetu enim vel in grauida vel in ſecundinis poteſt latere cauſa; abdomen nimis eleuatur

α) Liquoris amnii copia maiore,

β) Infante admodum magno, monſtroſo atque hydropico,

γ) Secundinis maioribus,

δ) Si

Roederer loc. citat. §. 702. Ill. Stein loc. citat. §. 192. Ill. Osiander loc. citat. §. 278.

δ) Si grauida morbo quodam laborat, quo abdomen magis extenditur, e. gr. hydrope vteri, a) aſcite, molis, polypis, &c.

Abdominis eleuatio in grauiditate gemellorum minor quoque inuenitur (vti etiam in hiſtoria grauiditatis gemellorum (pag. 67 not. y) enarrata confirmatur),

α) Si foetus & ſecundinae minores,

β) Si liquoris amnii copia minor in vteri cauo adeſt.

3) Si infantis motus a grauida maturiores & quidem in vtroque latere ſimul & frequentiores percipiuntur, non ſemper grauiditatem gemellorum probat.

α) In grauiditate ſimplici motus infantis maturior nonnunquam percipitur.

β) In ſitu transuerſo foetus vnius in variis quoque regionibus motus ſentitur, quum manus & pedes ſimul moueri poſſint.

γ) Interdum alter gemellorum altero debilior, minor, aut mortuus eſt, dum motus quoque alterius debilior, ſeu non percipitur.

δ. Mo-

a) SIGWART Diſſert. de hydrope vteri grauidi. Tüb. 1761. Hydrometra adeo in partu gemellorum obſeruata eſt. STEPHAN. FELL von einer widernatürlichen Waſſeranſammlung im Vterus bey Zwillings-Schwangerſchaft; in den Edinburgiſchen neuen mediciniſchen Verſuchen u. Beobachtungen. 2r Thl. 1757. No. XXV. S. 387. Es floſſen bey der Geburt 50 Pfund Waſſer ab.

d) Motus foetus vnius ſani, viuacis, vigore praediti omnino frequentiores eſſe poſſunt.

e. Nonnunquam gemelli debilius mouentur, praecipue ſi debiles ſunt, ſeu minore liquoris amnii copia circumdantur.

4) Verſus tertium vel quartum grauiditatis menſem illae, quae gemellos gerunt, pedes, femora & genitalia tumida ac varicoſa habent. Hoc quoque ſignum incertum eſt: vterus enim iam foetu admodum magno monſtroſo vel maiore liquoris amnii copia nimis extenſus per compreſſionem in vaſa, humorum refluxum ex inferioribus retardare valet; hinc inde extremitates inferiores ac genitalia facile tumida ac varicoſa fieri poſſunt.

5) Nec ſemper in omnibus quoque grauidis, quae gemellos gerunt, ſulcus vel fouea mediam abdominis regionem diſtinquens, binaeque prominentiae in regione hypochondriorum quaeruntur. In abdomine enim vnicum foetum tegente eiusmodi fouea & prominentiae binae obſeruari poſſunt b)

α. in

b) Quum Ienae eſſem, in noſocomio obſtetricio grauidam explorandi mihi occaſio data erat, in qua ventrem quam maxime expanſum, lineam diſtinctam, & prominentiam in vtroque latere inueni. Peperit, (ex prouerbio, parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus) vnum tantum infantem haud magnum. Haec ventris nimia extenſio ex liquoris amnii copia maiore & infante oblique ſito oriebatur. Göttingae hyeme praeterlapſa (ni fallor) in Xenodochio regio aliam exploraui grauidam, quae abdomine quidem nimis extento & valde

pro-

α. in foetus ſitu transuerſo.

β. Si in altero latere vterus, placenta nimis magna, in altero foetu hic praeſertim locato extenditur.

γ) Si cum foetu vnico mola ſeu alius tumor in vtero ſedem habet.

6. Circa grauiditatis finem abdomen non ſubſidet, vt in grauiditate ſimplici fieri ſolet. Et haec regula non ſine exceptione.

α. In grauiditate gemellorum abdomen nonnunquam ſubſidere poteſt:

1) Si caput foetus alterius in peluis cauum magis protruditur, praecipue ſi amplitudo peluis aperturae ſuperioris nimia eſt.

2) Si gemelli minores ſunt.

β. In grauiditate ſimplici quoque abdomen non ſubſidere valet,

1) Si circumuolutiones funiculi vmbilicalis v. gr. circa collum & humeros adſunt;

2) Si peluis apertura ſuperior nimis anguſta, dimota;

3) Si liquoris amnii copia maior eſt;

4) In ſitu quodam foetus praeternaturali, in obliquitate capitis;

5) Si

prominente erat inſtructa, lineam denominatam & prominentiam in utroque latere non inueni, genitalia autem tumida ac varicoſa praecipue erant conſpicua; peperit gemellos.

5) Si caput infantis hydrope nimis extenſum & monſtroſum eſt.

7) Nec praetereundum eſſe puto aliud ſignum, de quo cl. Baudeloque c) mentionem facit: *Grauidae ventre hac ratione ſupra modum extenſo, vt ad gemellorum praeſentium ſuſpicionem ducat, tunc, ſi vnus tantum adeſt foetus, ſitum eius cum digito vaginae immiſſo multo mobiliorem ac ſaltantem inuenimus, quia magna hoc in ſtatu liquoris amnii copia circumdatur. Quod vero non ſit, ſi duo foetus adſunt, quia tunc alter alterum ita moueri poſſe impedit. Si eodem tempore, relaxato foeminae abdomini manus imponimus, tunc externe, tactus ope, vtrumque foetum tam bene ſentire, ſicut illo tempore, genua, pedes & brachia vnici foetus diſcernere valemus.* Quod autem ſignum ad veroſimilia referri tantum poteſt; experientia enim contrarium docuit, prout mihi quoque grauidam, quae gemellos geſſerat, explorandi occaſio erat data, in qua caput infantis maxime mobile & ſaltans inueni. In altera autem, in qua nimia ventris extenſio & linea diſtincta in vltimis grauiditatis menſibus partus gemellorum ſuſpicionem praebuit, caput infantis vix mobile inueni; ſequitur igitur, ex hoc phaenomeno non certam ſemper diagnoſin grauiditatis gemellorum eſſe ſtatuendam, quum infans mox mobilior mox immobilior in grauiditate

c) Bavdeloqve Anleitung zur Entbindungskunſt, mit Anmerk. verſehen von Fried. Meckel. Zweyte Ausgabe, 2ter Theil. Leipzig. 1794. 8. S. 498.

niditate gemellorum inueniri poſſit. *d*) Situs gemellorum diuerſus, gemelli vel maiores, liquoris amnii copia vel maior vel minor, peluis anguſtia vel amplitudo nimia ad mobilitatem vel immobilitatem infantis vario modo conferre poſſunt.

8) Conie&uralibus quoque ſignis adnumerari debet, de quibus varii Autores *e*) referunt, ſi nempe partus aliquot ſeptimanas ante finitum grauiditatis periodum incidit. Sed experientia docet, quod grauidae, quae partum gemellorum ediderunt, per iuſtum grauiditatis tempus infantes gemellos geſſerant. *f*) Ex hisce relatis ſequitur, quam dubia ſit diagnoſis grauiditatis gemellorum. Quum & omnia haec ſigna recenſita adſint, error nihilominus committi poteſt. Memoria digniſſimae ſunt obſeruationes Clar. DE LA MOTTE: in grauida quadam omnia inuenit criteria grauiditatis gemellorum; ſed peperit vnum tantum foe-

d) Ill. OSIANDER haec quoque confirmare videtur, quum dicat: „Der „Kopf iſt im Grunde des Mutterganges entweder gar nicht, oder „beſtändig wohl beweglich. &c. Vide loc. citat. S. 255. von den Zeichen der Zwillings-Schwangerſchaft.

e) Ill. OSIANDER loc. citat. p. cit.

f) Vide MAVRICEAV Obſeru. 481. 512. 565.

Grauida, quae hyeme praeterlapſa Göttingae infantes gemellos peperit, & de qua ſupra pag. 70. not. b. mentionem feci, non ſolum infantes per iuſtum tempus geſſerat, ſed quoque ni fallor quatuor aut ſex dies ſerius in partum incidit.

foetum, & quidem paruum g). Caeterum non tanti momenti mihi videtur eſſe cognitio, an foemina gemellos in vtero gerat, nec ne, interdum quoque haec cognitio mulieribus in grauiditate nociua eſt, quum hac cognitione perterritae ac anxiae in morbos & in abortum vel partum praematurum incidere poſſint.

§. LII.

Vtiliſſima autem & quam maxime neceſſaria eſt certa gemellorum diagnoſis, ſi partus inſtat. Nunc quoque ad certiora ſigna partus gemellorum venimus.

B) *Signa grauiditatis gemellorum ex partu inſtante deſumta.*

Ad haec referuntur:

1) Si foetu primo iam edito in matris ventre tumor remanet.

2) Si durities aliqua in vno alteroue latere percipitur.

3) Si parturiens motus adhuc in vtero ſentit.

4) Si continuo ex prioris foetus funiculo vmbilicali ſanguis profluit.

5) Si vteri contractiones ſubdurant, & mox iterum renouantur.

Sed quoque haec ſigna ſecundi infantis praeſentiam adhuc nonnunquam dubiam reddunt; tales enim effectus atque ſymptomata

g) Vid. DE LA MOTTE Traité complet des accouchemens naturels, non naturels & contre nature. Obſeru. 28. 29.

mata aliis quoque cauſis, e. gr. ſpaſmis, vteri atonia, irritamentis, tumoribus & molis produci poſſunt. Igitur non negligendum eſt aliud remedium, quod noſtram diagnoſin extra omnem dubitationis aleam ponit, nempe exploratio interna.

6) Si noua membrana liquore amnii plena ac expanſa ſentitur; ſed hoc quidem ſignum non eſt, quod ad certiſſima criteria foetus ſecundi praeſentis refero; fallimur enim, ſi veſica aquis ſpuriis expanditur, aut extra centrum rumpitur. *h*) Inde praecauendum, ne explorationem incaute inſtituamus. Certiſſimum autem ſignum eſt:

7) Si aliquam ſecundi foetus partem digitis ſentimus; nunc praeſentia ſecundi foetus extra omnem dubitandi cauſam poſita eſt.

In iis, quae trimellos, vel quadrimellos gerunt, eadem obſeruantur ſigna, incommoda magis aucta ſunt, abdomen autem non magis extenſum eſt quam in grauiditate gemellorum. *i*) Caeterum quae nunc de grauiditatis diagnoſi gemellorum ſunt relata, ſpectant quoque ad ſigna grauiditatis trimellorum & quadrimellorum &c. Nunquam ante partum cum certitudine praedici poteſt, num trimelli vel quadrimelli adſint, nec ne.

§ LIII.

h) „Oft iſt aber an der untern Fläche des Mutterkuchens eine groſse Waſſerblaſe, welche ſich in den Muttermund ausſpannet, ja manchmal von den Nachwehen geſprengt wird, daſs man glauben ſollte, es ſey noch ein Kind zurück." Cl. Plenk Anfangsgründe der Geburtshülfe. Zweyte Aufl. Wien. 1774. S. 372.

i) Cl. Osiander lib. cit. S. 255.

§. LIII.

Ex ſymptomatibus igitur praecipuis, quae nobis ad grauiditatis verae diagnoſin anſam praebent, quantum a me tyrone adhuc fieri potuit, enarratis, ſatis apparere mihi videtur, quam difficile & graue ſaepius ſit, certam ſtatuere grauiditatis verae diagnoſin. Quisque fere mecum conſentiet, quod grauiditas nullum proprium ſibi habeat phaenomenon, quum varia quoque exiſtere poſſint morborum genera variaeque cauſae, quibus eadem fere producuntur ſymptomata. Caueat igitur medicus obſtetricius & forenſis de rebus iſtis in conſilium adhibitus, ne imprudenter ac improuide agat, & grauiditatem temere enunciet, quum varii ſint decipiendi modi, tum varia quoque puellarum mulierumque aſtutia, quam detegere ne Oedipus quidem ſemper poteſt. Iterata exploratione omnes mutationes grauiditatis tempore apparentes examinet, ac ex collectione & comparatione omnium ſymptomatum ac phaenomenorum diagnoſin conſtituat. Caueat, ne iudicium feſtinando aut riſui aut calumniis hominum ſeſe exponat; turpe enim eſt, matronas, quae prolem deſiderant, vana ſpe eludere, & dirum, imo plane inhumanum eſt, puellam inſontem criminis proterue accuſare. Quum certi aliquid proferre nequeat, iudicium, quantum fieri poſſit, retineat, vel dubie proponat; hac ratione tuto progredietur, famamque ſeruabit.

THESES EX VNIVERSA MEDICINA.

I. Vterus ex fibris muſculoſis conſtat.

II. An vretheres ſoli vrinam in veſicam vrinariam deferant, dubium adhuc eſt.

III. Vis vitalis ſanguini non eſt deneganda.

IV. Pollutiones nocturnas ad excretiones praeternaturales referri debere credo.

V. Valde errant, qui contendunt, fluxum menſtruum nil, niſi ſecretionem eſſe morboſam.

VI. Vſus arſenici internus medicis permittendus eſt.

VII. Extirpatio variolarum ad fruſtranea deſideria pertinet.

VIII. Gonorrhoea non ſemper morbis venereis adnumeranda eſt.

IX. Foetus iam in vtero lue venerea adfectus eſſe poteſt.

X. Mercurius praecipue ſecundum obſeruationes recentiores non eſt ſpecificum in lue venerea remedium.

XI. Inter febrem neruoſam & putridam eſſentialis obtinet differentia.

XII. Ad febres intermittentes cito ſanandas non potes carere emeticis.

XIII. Febres malignae non propriam conſtituunt claſſem.

XIV. Febris puerperalis non eſſe videtur febris peculiaris.

XV. Non datur differentia eſſentialis inter rheumatiſmum & arthritidem.

XVI. Paracenteſis thoracis in hydrope pectoris minime negligenda eſt.

XVII. In fracturis extremitatum maxime complicatis amputatio praeferenda eſt.

XVIII. Veri cancri vnicum quidem, ſed ſaepe anceps praeſidium cultellus eſt.

XIX. Depreſſio cataractae non eſt tam vituperanda, quam extractores illam vituperare ſolent.

XX. Furunculi nunquam diſcutientibus remediis ſanari debent.

XXI. Extirpatio parotidis ſcirrhoſae a chirurgo artis perito absque vitae periculo peragi poteſt.

XXII. Criteria adſunt inter & poſt operationem factam, quae parotidem plane extirpatam deſignant.

XXIII. Ligatura arteriae ſpermaticae per ſe ſola, i. e. a vicinis partibus ſeparatim ſuſcipienda fieri debet & poteſt.

XXIV. Hymen laeſus non certum ſemper deperditae virginitatis ſignum, & hymen integer non ſemper haud vitiatam virginitatem deſignat.

XXV. Grauiditas cum hymene integro conſtare poteſt.

XXVI. Medicus practicus in pluribus morbis exploratione obſtetricia carere non poteſt.

XXVII. Nullum datur ante quartum menſem certum grauiditatis ſignum.

XXVIII. Omnia grauiditatis ſigna interdum decipere poſſunt.

XXIX. Solutio placentae non ſemper naturae eſt relinquenda.

XXX. Partus agripparum praeternaturalis eſt.

XXXI. Caput foetus ſub partu agripparum ita non ſoluendum eſt, vt digiti iniiciantur ori.

XXXII. In arte obſtetricia nimius inſtrumentorum vſus nociuus, omnium vero inſtrumentorum vſum interdicere error eſt.

XXXIII. Ad aquas in partu rumpendas inſtrumenta non plane ſunt reiicienda: illud ab Ill. Osiander recens inuentum optimum eſſe mihi videtur.

XXXIV. Ab obſtetricibus raro & digitis tantum aquae rumpi debent; quum hac ratione ab iis facile fieri non poſſit, medicorum obſtetriciorum auxilium petant, neceſſe eſt.

XXXV. Faſcia vniens poſt ſectionem caeſaream omni quouis modo ſatisfacit, futuram cruentam (gaſtroraphiam) reiicio.

XXXVI. Vtrum liceat ſalua conſcientia foetum enecare, vt mater ſeruetur, haeremus.

XXXVII.

XXXVII. Docimaſia pulmonum non ſemper certiſſimum de peracta iam reſpiratione teſtimonium praebet.

XXXVIII. Ad medicorum numerum imperitorum diminuendum, pharmacopolis & chirurgis ſummorum in medicina honorum adeptio degrauanda eſt.

XXXIX. Venaeſectio non a quouis barbaetonſore proprio marte inſtituenda eſt.

LX. In quauis ciuitate aedes obſtetricia exſtrui deberet.

XLI. Sepulchra e templis remouenda.

Errata notabiliora.

Pag. 13. Lin. 9. pro ſtatuendi lege ſtatuere.
— 14. — 13. pro nullo lege nulli.
— 15. — 7. pro licet lege poteſt.
— 16. pro haemopthyſis ſemper legatur haemoptyſis.

FILIO SVO DOCTORANDO

ADAMO ELIAE SIEBOLD

S. P. D.

PARENS ET PROMOTOR.

Munus illud ſolenne, quo Praeſes gradus in vtraque medicina doctorales clientibus publice impertiri ſolet, eo magis celebratur, quodſi illi ex iis iisdemque manibus ſimul ac paternis ad filium feruntur. Hoc eſt, quod & mihi & Tibi, mi fili! contingit. An de fato iſto equidem rariſſimo, quo pro quatuor filiis, qui omnes praecipuo & fere a parente ad eos translato & capto praeiudicio ſeſe rerum naturalium & medicarum tradiderunt ſcientiis, paternas vices gerendi obſtringor officio, vel gaudeam, vel doleam, haereo. Sed prolibus vllam vitae rationem praeſcribere, nolebam; officii mei paterni haud immemor, tali rationi, qualiscunque eſſet, libere ab ipſis electae prius pro viribus fauendi, quam reſiſtendi. Gratulabar mihi, nec non filiis, quod fortuna mihi ita arriſerit,

vt ex opibus noſtrismet ipſis filios ſaltem educare, eorumque animum & mentem colere poſſem, ſperans, fore vt fructus paterni officii olim eo redirent, ex quo antea venerint. Conciuibus (forſan & patriis) e prolibus mihi caris ciues bonos & vtiles relinquere, hunc finem ego propoſui. Inde nihil magis curaui, quam vt filii in addiſcendis tam philoſophiae, quam medicinae partibus ſeſe colerent, quin excolerent. Ad ſtudia haecce rite & ratione quadam recta dirigenda & abſoluenda, filios magiſtris tam academiae patriae, quam poſtea externarum, quales prae caeteris Göttingenſis & Ienenſis erant, confidebam. Quo modo hic filius curſum academicum abſoluerit, eiusdem verbis expreſſum adiicio:

Ego, inquit, ADAMVS ELIAS SIEBOLD, *natus ſum Wirceburgi anno milleſimo ſeptingenteſimo ſeptuageſimo quinto die V. menſis Martii. Patrem veneror* CAROLVM CASPARVM SIEBOLD, *Anat. Chir. Obſtetr. P. P. & O. Celſiſſimi ac Reuerendiſſimi S. R. I. Principis, Epiſcopi Wirceburg. & Franciae orientalis Ducis Conſiliarium aulicum & Archiatrum, Facultatis medicae in alma Iulio-ducali Herbipolitana Academia Seniorem & noſocomii Iuliaei Chirurgum primar. &c. Matrem vero* MARGARETHAM VERONICAM, *ex Stirpe* STANGIANA, *quae vero, proh dolor! quinque fere abhinc annis morte mihi erepta eſt.*

Ea ſemper optimorum parentum cura fuit, vt a teneris annis prima religionis chriſtianae catholicae, pietatis & literarum rudimenta haurirem, artibusque bonis omnibus, quibus aetas puerilis erudiri ſolet, imbuerer. Quo conſilio me tradiderunt ſcholis, quae collegio cathedrali ſubſunt, & ibi Viris, optime de me meritis, D. Cantore KNORR *& D. Rectore* HVHM *vſus ſum magiſtris. Nec quoque laudibus ſatis efferre poſſum Ill.* KOELIVM, *nunc in*

hac

hac Academia Philoſophiae Profeſſorem extraordinarium, quem in priuatis horis habui praeceptorem diligentiſſimum & amantiſſimum.

Tandem me idoneum iudicatum, qui gymnaſium adirem, ex lectionibus doctiſſimorum Virorum, Ill. SCHOENII *(beate nunc defuncti) & Clar.* SINNERI *magnos fructus percepiſſe grato animo profiteor. Praeterea inſtitutionibus priuatiſſimis doctiſſimi & mihi dilectiſſimi Praeceptoris* FUELLERI, *qui nunc iudicis equitum officio in Imperatoris exercitu fungitur, multa quoque debeo.*

Quum autem primam humaniorum claſſem ſub Clar. Profeſſore SINNER *frequentarem, rerum cognitione atque doctrina optime delectatus, literis me totum dicare conſtituebam, & iam eo tempore, neſcio quo deſiderio flagrabam, medicinam addiſcendi. Quo vero propoſito firmiſſimo deſtiti ſane inuitus, non mea ſponte, ſed auctore & ſuaſore patre optimo, qui propoſitis variis commodis eo me duxit, vt cum ſtudio literarum permutarem mercaturam. Artibus ſtudiisque quibusdam, quae ad mercaturam addiſcendum multum preſunt, antea praeparatus, Auguſtam Vindelicorum petii. Sed rebus mercatoriis ibi parum delectatus, Mercurio valedixi & ad ſtudia priſtina per annum fere intermiſſa redire decreui. Ad patrios lares redux humaniora iterum adii, in quibus per duos annos Ill.* BLASS *vſus ſum praeceptore doctiſſimio & mihi amantiſſimo.*

Abſoluendis in gymnaſio rite abſolutis artis ſalutaris ſtudium elegi: huic conſentiente ac moderante Patre meo operam nauare, & ſtudia medica cum philoſophicis coniuncta addiſcere coepi. Priuatim matheſin puram & applicatam ex ore Ill. TRENTELII, *ſenis pie colendi, hauſi, & phyſicam ſumme Ven* EGELLIVS, *praeceptor doctiſſimus & experimentator dexterrimus, me docuit; Eiusdem phyſices experimentalis praelectionum vtiliſſimarum & gratiſſimarum ſemper ero memor. Cl.* HESSELBACH, *theatri anatom. profeſſor ſedulus*

& optime de me meritus oſteologiam me docuit. In anatomicis, in chirurgia Parens ipſe praeceptor erat: ſub eius auſpiciis clinico chirurgico & operationibus chirurgicis ſedulus tum ſpectator tum adjutor interfui. Moderantibus Patre & Cl. Profectore per hyemes binas cultrum anatomicum exercui: in cadaueribus duce Patre curſum quoque chirurgico-manualem perficere, & collegio de faſciis applicandis intereſſe mihi contigit. Cel. PICKELII *praelectionibus chemicis & technicis intereram, Clar.* HEILMANN *vero botanicen & materiam medicam me docuit. Dilectiſſimum fratrem* GEORGIVM CHRISTOPHORVM SIEBOLD *(quem fatum infauſtum morte erepit) diaeteticen, phyſiologiam & artem obſtetriciam exponentem audiui. Fratre quoque eodem vſus ſum duce peritiſſimo in praxi obſtetricia, quam partim in inſtituto obſtetricio, partim in vrbe ſub eius ductu exercui.*

Studio philoſophico & medico in hac alma vniuerſitate hac ratione condito, patriis laribus valedixi, & Ienam profectus ab Ill. GRVNERO, *tunc temporis faſcias academiae tenente numero ciuium academicorum adſcriptus ſum. Per annos duos Ienae commoratus, ſequentibus tum in philoſophicis, tum in medicis vſus ſum praeceptoribus.*

Exc. CHR. E. SCHMID *(nunc Profeſſor Theologiae ordinarius) logicam, metaphyſicam & pſychologiam empiricam explicantem, Ill.* BATSCH *geognoſiam & orictognoſiam exponentem audiui. Praelectionibus publicis philoſophicis Exc.* FICHTII *quoque interfui. Clar.* GOETTLING *chemiam & pharmaciam me docuit.*

In ſemiologia, tam generali quam ſpeciali, in medicina forenſi, politia medica & hiſtoria medico-literaria ab Perill. GRVNERO *edoctus ſum. Anatomiam ex ore iucundo Clar.* LODERI *traditam audiui, eoque viro illuſtri in phyſiologia, chirurgia vniuerſa, & morbis oculorum vſus ſum magiſtro eoque duce in noſocomio obſtetricio ducali praxin exercui obſtetriciam. Ill.* STARK

in

in arte obſtetricia, morbis neonatorum & mulierum me erudiuit: viri huius in arte obſtetricia experientiſſimi beneuolentiae debeo, in vrbe parturientibus quoque ſub eius ductu ſuccurrere. In pathologia, therapia generali & ſpeciali veneror Exc. HVFELAND *praeceptorem amantiſſimum. Ill.* BERNSTEIN *collegio de faſciis applicandis interfui. Praeter haecce clinicum medico-chirurgicum, quod ſub Ill.* LODERI *&* HVFELANDII *moderamine floret, ſedulo frequentaui, vt & horum virorum priuatis inſtitutionibus in ipſis medendis aegrotis tum medicis, tum chirurgicis multum debeo. Denique & exercitationibus diſputatoriis ſub Clar.* HVFELAND *& Exp.* STARK *iun. habitis vſus ſum, & conuerſatorium medicum Ill.* HVFELAND *ſedulo frequentaui.*

Annis duobus praeterlapſis Parente optimo meo ſuadente Goettingam me contuli. Ibi a Magnifico t. t. Acad. Prorectore Exc. WRISBERG *ciuium academicorum numero adſcriptus, praelectionibus vtiliſſimis & gratiſſimis Perill.* RICHTERI *de morbis acutis, chirurgia medica, & morbis oculorum ſedulo interfui. Exc.* BLVMENBACH *praeceptor erat aeſtumatiſſimus in hiſtoria naturali vniuerſa; queis deliciis affectus huius viri doctiſſimi ac illuſtriſſimi praelectiones gratiſſimas & vtiliſſimas audiui, verbis exprimere vix poſſum. Clinicum medicum in noſocomio moderante Clar.* STROMEYER *frequentaui, eoque duce aegrotis quoque in vrbe opem tuli medicam. In chirurgia clinica Clar.* ARNEMANN *me erudiuit. Artis obſtetriciae tum partem theoreticam, tum practicam, pathologiam & therapiam morborum mulierum me docuit Ill.* OSIANDER, *vir in arte obſtetricia experientiſſimus, eoque duce in Xenodochio quoque & clinico Regio artem obſtetriciam & medicam exercendi opportuna & vtiliſſima data erat occaſio.*

Denique vix praeterire poſſum, Exp. FR. L. LENTIN, *medicinae & chirurgiae Doctorem (Celeberrimi* LENTIN *filium digniſſimum) & Doctiſſ.* C. BRANDENBVRG, *medicinae Candidatum, viros amicitiae atque amoris vinculo*

mihi

mihi adſtrictiſſimos, e quorum conſuetudine Ienae & Goettingae multi ſane fructus in medicis & humanioribus in me redundarunt. Varia eorum amicitiae momenta gratiſſima, varia amoris teſtimonia in memoriam reuocans, vix illa verbis exprimere poſſum.

Quibus variis diſciplinis philoſophicis & medicis in academiis extraneis quoque inſtructus a parente dilectiſſimo reuocatus die vigeſimo tertio Aprilis h. a. ad patrios lares redii. In illis clinicum medicum in noſocomio Iuliaeo moderante Exper. THOMANN *per quadrantem fere anni frequentaui; & cariſſimus parens grauidarum & parturientium curam in noſocomio obſtetricio, in vrbe & rure ipſo duce mihi tradidit. Caeterum hac aeſtate ordini medico de profectibus in medicina vtraque rationem redditurus examina theoretica & practica ita ſuſtinui, vt dignum me haberet, cui ſummi in arte ſalutari honores decernerentur.*

Omnibus hisce praeceptoribus ac examinatoribus aeſtumatiſſimis fautoribusque omni pietate colendis pro ſummis in me ſtudiis & meritis gratias maximas ago, ſemper habebo, ac, ſi vnquam potuerim, referam.

Quibus omnibus filii mei ac caeterorum filiorum magiſtris ac fautoribus publicas hic referre gratias meum quoque eſt; eorum memoria ſemper erit cara & gratiſſima. Inter filios extra patriam ſeſe habentes tres, quibus ſummi in arte ſalutari honores decernerentur, digni habebantur, quos vti ex facultate medica patria capeſſendos certe non aſpernabantur, potius magis vt ſoluti - ſentientes, in eadem academia tales acquirendos eſſe, in qua ſtudia finita eſſent. Nihilo minus patria iuſta duobus ex iisdem filiis munera ſane grauia in facultate medica curanda tradidit; qua vero

ratione

ratione ſpei captae reſponderint, hoc bonorum ac peritorum reipublicae noſtrae virorum arbitrio iudicioque commiſſum volo. Sed proh dolor! filii ſenioris morte nimis praematura quaſi laborum meorum eiusmetque ipſius fructuum meſſis interrumpebatur. Senſus vt grauiter triſtiſſime hoc fato affecti hic ſileant.

Multa autem patriae, vniuerſatisque noſtrae honori famaeque frequenti me debere ſentio. Idcirco officio, quo me obſtrictum video, animo perquam lubenti ſatisfeciſſe credo, quum Tibi, mi fili! ipſe illos honores in vniuerſitate patria publice largior, quibus ſplendida priuilegia doctoratus medicinae & chirurgiae obtines. His vero quod monita talia, qualia Tibi fortunae futurae propiori ex animo paterno commendare poſſum, addere velim, veniam dabis. Humanitati, arti, literisque in poſterum pro viribus ingenioque Tuo indulgeas, quaeſo & rogo Te. Nihil enim grauius, quam humanitatis omnino ſeruire officiis. Multis vexantur malis proximi, in quibus, ſi Te petunt, ſis medicus prudens & ſagax: miniſter vero ſemper naturae verus. Parturientibus autem omnem artem Tuam, de qua ſaepiſſime certius perſuaſus ſum, vt decet, impendas; respublica, cui, qualiscunque aliquando ſit, in poſterum ſeruias, officia bene praeſtita valdopere debebit, nam artis obſtetriciae periti ſeruant ciues, imperiti vero eos necant. Literis denique ſemper incumbere ne deſinas, vt & huic non leui officio ſatisfeceris.

Ita

Ita finio ſermonem, eoque quaſi labores circa educationem & cultum quatuor filiorum hucuſque factos, vix haeſitans, ex iisdem iam vllos in respublicas, quibus ſeniores ſeruiunt, redundaſſe, pluresque adhuc redundaturos eſſe fructus.

Caeterum, mi fili cariſſime! ea, quae monui, ſequaris velim, vt votis meis reſpondeas & ciui cuique bono ſatisfacias. Vale, & me vt parentem & magiſtrum in poſterum colere & amare perge.

Digitized by Google

Digitized by Google

Google